JOANNIS CLERICI
PNEUMATOLOGIA,

Cui subjecta est

THOMÆ STANLEII
PHILOSOPHIA
ORIENTALIS.

OPERUM PHILOSOPHICORUM.

TOMUS II.

Editio Quarta auctior & emendatior.



AMSTELODAMI,
Apud JOAN. LUDOV. DE LORME.
MDCC X.

REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI

GILBERTO

Salisburiensi Episcopo

S. P. D.

JOANNES CLERICUS.

AMe, REVERENDISSIME PRÆSUL, opus alienum, idémque ex Anglica Lingua in Latinam translatum ad te mitti, erit fortè qui miretur. At mirari desinet, si sciat id meum veluti esse factum; postquàm menda plurima, eáque gravissima, Typothetarum negligentiâ, cùm verbis Scriptoris Angli, tum iis quæ ex Veteribus adfert, passim

passim adspersa sustuli; quâ vel solâ emendatione, qui Anglicè non poterat, Latinè cum voluptate & fructu in posterum ut legatur me effecisse spero. Erant præterea nonnulla, ad Philosophiam Chaldaïcam pertinentia, quæ omitti, ut videtur, non debuerant, à viro doctissimo *Thoma Stanleio* tamen prætermissa. Alia quoque non satis verè observata, nec in hoc negotio levia, castigatione indigebant, quæ in Notis ad Oracula, atque in Indice, notavimus. *Sed quamvis hîc meri Interpretis functus essem munere, me non puderet Tibi, PRÆSUL PRÆSTANTISSIME, versionem offerre; quem scio nullâ re magis gaudere, quàm ubi gentis Tuæ ejusmodi thesauros per totum eruditum Orbem circumferri vides. Neque is sum quem, eorum more qui ex Litterarum studiis nihil præter invidiam ac superbiam retulere, pigeat aliena sequi vestigia, quando ea me ad cognitionem cujuspiam rei non spernendæ deducunt; aut qui indignum existimem iis, qui & suo Marte aliquid præstare possunt, aliorum collectaneis uti, & quæ à paucis poterant legi, ea pluribus communia labore suo facere.

* *In hac Editione, præfixa est* Pneumatologia, *quæ* Logicæ *conjuncta fuerat, in* 1. *Editione.*

Sanè

Sanè hac in re est quod Angliæ vestræ pænè succenseant reliquæ Gentes; quæ velo, ut ita dicam, ignotæ Linguæ submotæ, eruditas vestras opes introspicere, & communibus humani generis bonis frui impediuntur. Nec Anglica gens querelis transmarinorum hominum umquam satisfaciet, nisi notiore Linguâ uti incipiat, aut ab aliis velum, quod modò dixi, detrahatur; ut curiosi omnium oculi in eorum contemplationem admittantur, quæ, cùm dignissima essent quæ omnibus patefierent, adhuc tamen omnibus, præter Anglicæ Linguæ peritos, latuerunt. Certè hæc ratio apud me, Anglici nominis cultorem, ejus fuit ponderis; ut sepositis aliquantisper iis, quæ ex meis scriniis depromere potuissem, & aliquando, si Deo visum fuerit, sum depromturus, ad volumina Anglica Latinitate donanda interdum me contulerim.

Postquàm oblati hujus Tibi, REVERENDISSIME PRÆSUL, Opusculi rationes aperui, superesset ut, pro consuetudine eorum qui viris magnis libros offerunt, in Tuarum laudum campum exspatiarer; verùm hoc est Annalium, non Epistolæ, munus; quippe qui aliter, quàm gravi ac sincerâ rerum sæculi nostri Historiâ, meliùs laudari nequeas. Ii præcone indigent

* 3 amico,

amico, quorum laudes obſcuræ ex ſolis umbraticis ſtudiis, aut privatâ ratione vitæ efflorescunt: non qui, poſt edita immortalia Opera, & ſtylo navatam puriori Religioni fideliſſimam operam, ampliſſimis ac celeberrimis Regnis, quibus divina atque humana omnia jura pænè jam erant erepta, inſtauratorem, ſoſpitatorémque, Europâ plaudente, quæſiverunt & feliciter invenerunt. Hæc obſtant quominùs quidquam hîc addam, præter votum quo, REVERENDISSIME IN CHRISTO PATER, Te & Eccleſiis Chriſtianis omnibus, & Patriæ diu incolumem ex animo precor. Vale.

Dabam Amſtelodami, Calendis Juniis anni poſt Chriſtum natum M. DC. XC.

PRÆ-

PRÆFATIO

In qua Utilitas & Ratio Operis oſtenduntur.

UT Laus maxima iis debetur, qui virorum præclarorum res geſtas, aut Rerumpublicarum fata, fidis Hiſtoriis, complectuntur: ita nec ſuâ gloriâ ſpoliandi ſunt, qui opiniones Veterum ſequentibus ſervarunt ſæculis, aut ex Antiquitatis ruderibus diligenter collectas ediderunt. Imò univerſæ laudis, quæ ad illos pertinet, hos etiam participes eſſe neceſſe eſt; ſi, quod certiſſimum eſt, res geſtæ ſine opinionum cognitione ſatis intelligi nequeunt. Maximorum certè eventuum arcanas & præcipuas cauſas in opinionibus, ac moribus, ſitas eſſe, ii demum ignorant qui Veteres & Hodiernos Hiſtoricos ne leviter quidem adtigerunt, aut oſcitanter prorſus legerunt; unde ſequitur eos qui mores & opiniones populorum, quorum Hiſtorias legunt, ignorant, in hiſce præter ſolos eventus nihil videre. Quorum inter cognitionem & eorum peritiam, quibus utraque perſpecta ſunt, idem eſt diſcrimen, quod eſſet inter cognitionem ſolorum motuum externorum machinæ cujuſpiam, ſine diſpoſitionis internæ notitia; & hanc notitiam, cum motuum externorum cognitione conjun-

ctam. Qui externa tantùm vident illi omnia, prout primo intuitu arrident vel displicent, aut benignè interpretantur, aut in sequiorem partem trahunt; at qui norunt ex quibusnam fontibus fluxerint ea quæ oculos maximè percellunt, uti nihil temerè mirantur, nec externâ specie sibi imponi facilè patiuntur: ita nec, propter solam externam quamdam faciem, oculis minùs placentem, quidquam festinantiùs damnant.

Si quis, exempli causâ, ignoret quæ potissimùm inter Hebræos à Captivitatis Babylonicæ solutione, & Christianos primævos, floruerit Philosophia; is, quamvis eventus omnes eorum Historiæ celebriores memoriâ teneat, attamen quî factum ut dogmata antea ignorata, aut obscurissimè nota communia postmodum evaserint, & doctorum ingenia tantopere exercuerint, non videbit. Hoc ignorato, originem & fomites gravissimarum controversiarum, quæ maximas turbas pepererunt, ignoret necesse est. Atque hujus rei exempla suppeditabit is, quem Latinè edimus, *Thomæ Stanleii* viri eruditissimi libellus. Doctrinam de Dæmonibus & ἐνεργουμένοις inter alia à Chaldæis videntur accepisse Judæi; unde, post reditum è Captivitate, tam frequens eorum mentio, quæ antea aut tenuis, aut nulla prorsus occurrit.

Veteres quoque aliud agentes, in Historiis & quibusvis aliis Scriptis, passim ad opiniones quasdam respiciunt; quæ nisi aliunde notæ sint, quid sibi

sibi velint, iis in locis, quos legimus Scriptores nobis prorsus latet. Notum est plerosque primorum sæculorum Patres, præsertim Græcos, Platonicæ Philosophiæ addictos fuisse, & passim eò respicere atque inde voces mutuari; quo fit ut iis, qui eos intelligere cupiunt, priùs *Plato* & Platonici Scriptores sint evolvendi. Nemo sanè, quanam in re situs esset controversiæ celeberrimæ inter Orthodoxos & Arianos nodus intelligat, nisi quid περὶ τῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων senserint, & dixerint Platonici compertum habeat; quod inter alios Vir Doctissimus *R. Cudworthus*, in Anglico Opere, ostendit. Atque ex Oraculis Chaldaïcis non levia, ad quasdam voces intelligendas subsidia, duci posse ex iis quæ ad ea notavimus satis adparebit.

Quoniam autem primi mortalium non sumus nati, neque opiniones, quas tuemur, invenimus, sed ab aliis accepimus quas ab antiquioribus ipsi edocti fuerant; ut sciamus unde originem ducant varia quæ nunc recepta sunt, apud nonnullos ex Christianis, dogmata, nos oportet vestigia eorum, ut ita dicam, à sæculo nostro in proximè præteritum, & rursus in remotius sequi, donec ad fontem pervenerimus. Fontem porrò aut indicant, aut rivos fonti admodum vicinos, qui Veterum Orientis Gentium opiniones è Vetustatis situ eruunt, atque in clara luce collocant.

Hoc, post alios plurimos, facere adgressus est *Thomas Stanleius*, quem vel eo nomine aliis præ-

feri-

ferimus, quòd non suas proferat ratiocinationes; aut subtiliora è Chaldæorum principiis deducat consectaria; sed ipsa Veterum verba ut plurimùm recitet, ut quàm sincerissimam nobis tradat Chaldæorum doctrinam. A qua methodo si quis temerè discedat, suas sæpe ratiocinationes, pro Veterum opinionibus, in medium adferet; ac si fortè contigerit Scriptorem, ex quo hausit placita ex quibus ducit consectaria, non satis fidum fuisse in enarranda opinione aliena, quò rectiores erunt consequentiæ, eò magis à vera Antiquorum illorum sententia aberrabit.

Verùm hoc non parum nobis negotii, in hacce adornanda Translatione, facessit; neque enim vertere Translationem Anglicam verborum ex Scriptoribus Græcis aut Latinis desumtorum sustinuimus, ne nimiùm à fontibus abscederemus. Quærenda fuere Scriptorum quæ citantur verba, ut ex ipsis exscriberentur, & cùm sæpe neque pagina, neque caput, neque liber adscripta essent, aut etiam perperam indicata, non sine molestia inveniri à nobis potuere.

Præterea in ipsius *Stanleii* verbis, aliquot erant crassiora menda, quæ sustulimus, & ipsam dispositionem operis aliquatenus mutavimus. Nam cùm Philosophiæ Orientalis Historia reliquæ Historiæ Philosophicæ adnexa sit, non modò divisa est in Libros, sed etiam in Partes, ut antecedentia, & rursus in minores Sectiones distributa. Nos tantùm Librorum & majorum Sectionum divisiones retinendas censuimus; & illa multiplex divisio, in opere non magno, ordini plus officeret quàm prodesset. Ipse *Stanleius*, qui non videtur Opus suum semel scriptum umquam recensuisse, alium ordinem in animo habuerat; quippe qui alicubi dixerit se acturum de quapiam re, de qua jam egerat, quod nos etiam emendavimus.

Ceterùm in ejus verbis Latinè vertendis, ut barbariem datâ operâ non captavimus; ita nec vocabulis Scholæ usu jam receptis, ubi æquè commodè res aliter efferri non poterat, uti dubitavimus. Cùm hodie non scribamus Latinis auribus, sed jam ejuscemodi sermoni adsuetis, stultum esset, quod unâ voce Scholasticâ perspicuè possis, longâ & obscurâ circumloqutione exprimere. Uti *Stanleius* Oracula Chaldaïca Historiæ suæ adjecit, eadem nos quoque Translationi nostræ subjunximus, & quidem emendatiora quàm in Anglica Editione, in qua sunt inquinatissima, negligentiâ, ut puto, potissimùm Typothetarum; licèt *Franc. Patricium* nolim prorsus excusatum haberi, quod jam alibi dixi. Interdum etiam dubitavi an *Patricius* ea collegerit; an verò ab alio collecta malè descripserit; nam qui poterat *Proclum* aliósque Scriptores Platonicos evolvere, ut ea fragmenta erueret, idem etiam multò meliùs ea vertere, & disponere potuit, quàm fecit *Patricius*. Quidquid id est, ea hìc emendatiora habentur, ubi menda erant manifesta,

nifesta, & Orthographiæ, aut sensui palam contraria, aut alibi meliùs edita. Cetera, quæ hiulca fortasse erant, licèt mendosa, reliquimus, uti à *Stanleio* expressa sunt, ne pro Oraculis conjecturas nostras obtruderemus. *Pselli* & *Plethonis* interpretationes non addimus, quòd & ad paucos versus respiciant, & quæ alicujus momenti in iis sunt aut à *Stanleio*, in doctrinæ Chaldaïcæ expositione, aut à nobis in Notis adferantur. Deinde illi sæpe nimiùm conjecturis indulgent, non petitis ex Ethnicis Scriptoribus, sed ex propriis ratiocinationibus; quibus in re obscura latissimus ut exspatiandi, ita aberrandi patet campus. Reliqua quæ non exposuerunt ex *Jamblicho*, & *Procli* potissimùm *Theologia Platonica* interpretari, prout licuit, conati sumus.

Deinde quæ à *Stanleio* aut omissa, aut non satis rectè animadversa erant, in Indice adjecimus, aut reprehendimus; eadem æquitate quâ nos ab aliis, si quid peccavimus, ut facillimè fieri potuit, castigari cupimus. Multa etiam in hac iterata Editione, & typographica & nostra menda sustulimus, nonnulláque variis in locis addidimus.

IN-

INSCRIPTIONES CAPITUM

Historiæ Philosophiæ Orientalis.

LIBER PRIMUS.

III. *De*

LIBER SECUNDUS

De Persarum Philosophis.

LIBER TERTIUS

De Sabæorum Philosophis.

LIBER QUARTUS

In quo Chaldaïca Zoroastris ejúsque Discipulorum Oracula.

PNEU-

PNEUMATOLOGIÆ PRÆFATIO.

PRÆFATIO.

De Natura, Divisione, & Usu Pneumatologiæ.

1. PNEUMATOLOGIA, ut ipsa vox ostendit, est *Doctrina de Spiritibus. Spiritus* autem omnia Entia, Intellectu & Voluntate prædita, à nobis vocantur.

2. Hìc, ut in Logica & Metaphysica, non contemplamur ideas abstractas, sed res ipsas; hoc est, spirituales substantias, quarum naturam introspicere, quantùm licet, in votis est. Ostendimus autem alibi * à nobis ignorari, cùm substantiarum quarumvis, tum Spirituum etiam intimam naturam; unde intelligere licet à nobis non debere exspectari Spiri-

* Log. P. I. C. III. §. 6.

tuum omnibus numeris abſolutam deſcriptionem.

3. Subſtantiarum omnium, Spiritualium non minùs ac Corporearum, aliquot tantùm proprietates novimus; ideóque quidquid de iis tradi poteſt, totum in recenſione earum proprietatum ſitum eſt. Pulcrè nos officio defunctos exiſtimamus, ubi in ea recenſione nihil in medium, præter aut contra id quod nobis conſtat, protulimus. Quoniam ad ea quæ vellemus pertingere noſtra nequit inveſtigatio; hoc unum ſupereſt, ut ea quæ à nobis cognoſci putamus, certò & ſine erroris periculo, norimus.

4. Igitur proprietates Spirituum inveſtigandas, quaſi objectum, ſibi proponit Pneumatologia; & quidem eo fine, ut uſus qui ex ea cognitione manant, indidem deducamus. Cùm enim omnis cognitio, quæ in mera ſpeculatione conſiſtit, nec ullum uſum ad vitam præbet, inanis ſit; inutilem etiam crederemus Pneumatologiam, ſi nudâ contemplatione animum noſtrum paſceret, nec quidquam ſubſidii ex ea ad ſummam conſequendam Beatitudinem deduci poſſet.

5. Ut quinam ſint hi Uſus cognoſcamus, obſervandum tres eſſe Spirituum ordines, quos in hac Diſciplina contemplamur. Primò ſunt *Mentes humanæ*, ſeu id quod in hominibus cogitat, quidquid tandem ſit; ſecundùm, *Mentes aliæ*, quæ aut nulli prorſus corpori, aut certe tenuiori conjunctæ ſunt; tertiò, *Deus*, qui certiſſimè intelligit ac vult, quoniam & intelligere, & velle nobis dedit. Hæc autem Spirituum genera nobis notiſſima eſſe, quantùm ſaltem licet, noſtrâ maximè intereſſe putamus.

6. I. Ne-

6. I. Nemo dubitet an noſtrâ interſit Mentem humanam cognoſcere, qui quanta inde ad nos redeant emolumenta reputarit. 1. Ex cognitione Mentis noſtræ, utrum immortalis dici poſſit, cognoſcimus. Alioqui ſi prorſus neglexerimus in nos deſcendere, ut de proprietatibus Mentis noſtræ aut numquam, aut rarò ſeriò cogitaverimus; quî ſcimus an Mentis natura eam corpori ſuperſtitem eſſe patiatur? 2. Ex eo quod de Mente noſtra novimus, ſubſidia, ut meliùs & commodiùs facultatibus ſuis utatur, petimus. Exempli causâ, poſtquàm ſemel obſervavimus nihil à nobis in Mente perſpicuè cognoſci, præter cogitationes; hinc colligimus, ad Mentis facultates acuendas, nullam eſſe meliorem vivendi rationem, quàm ſi omnia quæ facilitati cogitandi obſtant vitemus; quales ſunt crapula, & occupatio inanis, quâ rebus, quæ nullam aut exiguam adtentionem poſtulant, nimis diu diſtinemur. Poſſent & alia ſimilia addi, ſeu adlata ſufficient, & ad plura invenienda viam monſtrabunt.

7. II. Non eſt inutile, quid poſſit de ſpiritibus aliis reſciri cognitum habere. Pleræque Gentes, & Orientales quidem potiſſimùm, credidere eſſe innumeros Spiritus, qui circa nos verſantur, nec ſub ſenſus noſtros cadunt; quorum tamen, in humanarum rerum adminiſtratione, maxima eſſet potentia, & hominum etiam non levis cura. Præterea, quæ Sacræ Litteræ nos docent de inconſpicuis Dei Miniſtris, quos *Angelos* vocant; innumera apud diverſiſſimas Gentes de Spirituum adparitionibus, & actionibus mirabilibus paſſim jactantur. Ergo ſcire expedit

 qua-

quatenus hîc humana porrigatur cognitio; ne nobis fabulas, pro rebus compertis, propinari sinamus; néve in superstitionem Ethnicam, circa inferiorum Spirituum cultum, delabamur.

8. III. Cùm apud sapientiores Gentes, præstantissimam esse Naturam, quam *Deum* vocamus, indubitatum semper fuerit; attamen quantopere circa ejus proprietates dissenserint, & quàm stultas opiniones homines, alioqui non inepti, de hisce foverint vix credibile est. Igitur exigui non est momenti, in id, quod de Deo cognoscere possumus, inquirere; ut semel eo quod compertum nobis est constituto, neque Philosophorum diversæ sententiæ nos in dubitationem nimiam conjiciant, neque superstitiosæ variarum Gentium opiniones transversos agant.

9. Nec dixeris, in hac Christianismi luce, periculum esse exiguum ne in ejusmodi errores delabamur; quoniam & inter eos, qui Christi doctrinam ore profitentur, sunt qui de Dei exsistentia dubitent, & fœdos foveant de Numine errores; qui homines, solis pænè Philosophicis rationibus, ad saniorem mentem revocari possunt.

10. Hi sunt Pneumatologiæ usus, qui ex sequentibus etiam magis elucebunt. Et nos quidem, in ea tradenda, ordinem jam indicatum sequemur, ut 1. de Mentibus Humanis: 2. de aliis Spiritibus creatis: 3. de Spiritu increato, seu Deo agamus.

PNEU-

PNEUMATOLOGIÆ
SECTIO PRIMA.
DE MENTE HUMANA.

CAPUT I.

Quâ ratione Mens Humana innotescat, & quæ sint ejus proprietates in genere.

1. AD eorum quæ novimus cognitionem, non eadem viâ, pervenimus. Sunt quorum notitiam, interventu potissimùm sensuum, adquirimus; qualia sunt omnia corporea, quæ semel sensus nostros perculerunt. Alia ut cognoscamus, abstractione animi utimur; & ideas quæ animo nostro obversantur, sine ullo externo Archetypo cui sint similes, contemplamur; quales sunt, inter alia innumera, ideæ virtutum & vitiorum abstractè consideratorum. Utrorumque cùm abstractorum, tum eorum quæ per sensus nobis innotuerunt, ideas quasi extra animum nostrum, & nihil ad nos pertinentes intuemur.

2. Sed præterea aliquid novimus, cujus cognitio neque occasione sensuum, neque abstra-

 ctione

ctione animi ad nos pervenit, & cujus etiam non contemplamur ideam, extra nos veluti exsistentem. Cùm quid simus ipsi, qui ratiocinamur, quærimus; quorumdam nobis conscii sumus, quæ in nobis esse, sine ratiocinatione ulla, sentimus. Neque ea instar aliarum rerum, in ideis, quasi in tabulis quibusdam, contemplari possumus; sed tamen intra nos esse, conscientiâ internâ, deprehendimus.

3. Comparatione ut rem illustremus, oculis nostris duplici ratione objecta innotescunt (de oculis loquimur, quasi oculi sentirent, ut vulgus solet, docendi causâ) nam quædam ab oculis cernuntur quasi extra se, alia verò intra ipsos sentiuntur. Vident, exempli causâ, arbores extra se positas, & quæcumque interdiu, sine interpositione corporis alius opaci, sibi objiciuntur. Ophthalmiam verò & quæcumque ex ea fluunt incommoda intra se, non ut objecta externa, sentiunt. Similiter id quod in nobis cogitat, & quod *Mentem* nostram vocamus, plurima extra se, quasi objecta quædam quæ contemplatur, prout libet, animadvertit. Præterea sentit quæ intra se peragantur, sive sui ipsius sibi conscia est.

4. Hinc fit ut Mens de se judicium nullum, quod non nitatur iis quæ in se sensit, ferre possit. Quarum sensationum capax sit, nisi postquàm eas experta est, nescit. Ita cæci nati, qui numquam colores ullos viderunt, Mentem suam posse habere ejusmodi sensationem, quam prorsus ignorant, ne suspicantur quidem. Si autem eveniat eos oculorum usum recuperare, quod solitâ naturæ ratione, aut extraordinariâ Dei voluntate

luntate factum aliquando esse memoriæ proditum est; tum demum Mentem suam ejus sensationis fuisse capacem, intelligunt.

5. Igitur, si semel statuerimus nos voce Mentis intelligere id quod in nobis cogitat, quod ab omnibus fit, quærentibus quid sit Mens, nihil aliud responderi poterit nisi quod in ea interno sensu deprehendimus. Sensimus autem Mentem nostram sentire, intelligere, velle, judicare, ratiocinari, libera circa quædam ferre judicia &c. unde sequitur eam, *Ens quod sentit, intelligit, vult, judicat, ratiocinatur, liberum est*, &c. à nobis definiri oportere.

6. Si ulteriùs quæratur an habeat Mens facultates alias, præter eas quas enumeravimus? reponemus nos nescire, neque judicium ea de re ferre posse; tum demum enim incipimus intelligere esse aliquam in nobis facultatem, postquàm ea semel saltem usi sumus. Denuo quærenti quæ sit ea res, quæ cogitationes tam varias in nobis versat; nihil de ea nobis esse notum, præter hoc ipsum quòd cogitat, ideóque præterea quidquam adfirmari non posse, regeremus.

7. Si quis percunctetur an Mentem corpoream esse judicemus, hoc est, extensam, divisibilem, & solidam? dicemus nos nullam prorsus in ea extensionem videre, nec posse adfirmare utrum corpus sit earum proprietatum capax; neque negaturos, quoniam res est incomperta. Uno verbo, hîc adfirmamus quod nobis constat, cetera in medio relinquimus.

8. Æquè temerè nobis facere videntur, qui audacter adfirmant Mentem nihil aliud esse præter

Substantiam cogitantem, quæ nihil prorsus commune habeat cum corpore; & qui contrà, Mentem esse tenuissimum corpus contendunt. Nam & hi dicunt esse in Mente, quod in ea numquam deprehenderunt; & illi statuunt nihil esse in Mente, præter id quod senserunt; quod cùm experientiæ contrarium, ut constat exemplo cæci, tum etiam temerarium est; quoniam sine ratione, quasi perspicuum ponitur, quod obscurissimum est.

9. Meritò tamen posteriores observarunt, inter philosophandum, si, omissis omnibus prioribus judiciis, quæramus, quid nobis ante omnia innotescat, & extra omne dubium positum sit, esse *cogitationem* nostram, seu exsistentiam rei cogitantis. Nam sanè nihil nobis propiùs conjunctum est, nihil exploratius quàm facultatem illam inesse nobis; neque vel minimùm ratiocinari possumus, quin hoc ipso, ante omnia, exsistentiæ rei ratiocinantis conscii nobis simus.

10. Rectè quoque iidem quod in nobis cogitat esse substantiam adfirmant; quandoquidem cùm cogitatio merum sit accidens, quod per se exsistere nequit, esse subjectum cui insit necesse est. Igitur Mentem, quatenus nobis nota est, nihil esse præter *Substantiam cogitandi facultate præditam*, adfirmare possumus. Sed quoniam varia sunt cogitationis genera, quorum præcipua suprà memoravimus, sunt nobis singillatim expendenda paullò diligentiùs; quod Capitibus sequentibus hujus primæ Sectionis faciemus, si priùs quæstionem celebrem, *utrum essentia Mentis sita sit in cogitatione actuali, an in facultate cogitandi*, expenderimus.

CA-

CAPUT II.

Utrum essentia Mentis in actuali cogitatione, an in facultate cogitandi sita sit?

1. PRopositæ quæstioni ante omnia respondemus, licèt in Mente nihil, præter cogitandi facultatem & cogitationes varias, perspicuè norimus; attamen nos non adfirmare nihil esse præterea in Mente, ut superiore Capite ostendimus. Hinc sequitur nihil posse definiri de intima Mentis natura, quæ nobis ignota est; ac proinde nos non posse certò dicere utrum Mens sine actuali, aut etiam sine potentiali cogitatione, seu cogitandi facultate, esse possit, adeóque utrum essentia ejus intima ea in re sita sit; nam essentia est id, sine quo res esse nequit. Igitur si cogitationem actualem, aut potentialem quis velit essentiam Mentis vocare, erit *essentia nominalis*, non *realis*; hoc est, essentia rei, quatenus nobis nota est, non qualis est reverâ. Certè hanc reverâ esse adfirmare non possumus.

2. Sed audiendi qui in utramque partem hîc abeunt. *Ren. Cartesius*, qui in orbem eruditum opinionem de Mente essentialiter actu cogitante primus intulit, hoc uno nititur fundamento, quòd nobis experientiâ constat, dum vigilamus, perpetuò nos cogitare. Atque inde collegit Mentem nostram sine cogitatione numquam esse, neque esse posse.

3. Si objiceretur ei ætas infantilis, aut tempora somni, etiam tunc Mentem cogitationibus oc-

cupatam esse, sed earum nullam superesse memoriam reponebat. Sæpe etiam vigilantibus evenire cogitationum, quarum alii quibus eas significavimus recordantur, ne levissimam quidem nobis memoriam superesse.

4. Qui non putant Mentem perpetuò cogitare primò consequentiam, quam ducit *Cartesius* à vigilia ad somnum, ab ætate rationis compote ad infantiam primam, aut etiam tempus quo in utero matrum fuimus, admitti quasi certam posse negant; nec aliud inde eum potuisse colligere, nisi fortè posse Mentem perpetuò cogitare, contendunt.

5. Secundò, quamvis aliquid reverâ cogitaverimus, cujus tamen obliti sumus, non sequitur, hoc perpetuò evenire; ita ut unaquæque die per aliquot horas dormientes cogitemus, nec expergefacti ullatenus cogitationum recordemur. Deinde ex oblivione ducta responsio *Cartesii* ostendit tantùm objectionem ejus Adversariorum indidem petitam, non probare nullam fuisse cogitationem, eo quòd nulla sit ejus memoria; non probat reverâ fuisse cogitationem, cujus obliti simus.

6. Tertiò, cùm rationes *Cartesii* nihil præter perpetuæ cogitationis possibilitatem probent, quamvis concederemus non esse eam possibilem modò, sed actu Mentes semper cogitare, hæc esset difficultas solutu haud facilis. Singulæ cogitationes, quibus Mens distinetur, sunt accidentia, quibus carere posset, & quæ subjecto cuipiam inhærent. Quodnam autem est id subjectum? Substantia, nimirum, quæpiam, cujus natura est ignota. Si corpus semper moveretur variis modis, & constaret omnes illos modos esse accidentia corpori inhærentia, & quibus etiam carere posset, an quisquam essentiam corporis illius in perpetuo motu esse sitam adfirmare auderet? Eadem est ratio Mentis, si ponamus cum *Cartesio* Mentem semper cogitare.

7. Quartò, si Mens in somnis perpetuò cogitat, quî fit ut cùm sine somniis dormiimus, nulla cogitationum illarum supersit memoria? Respondere solent, id inde oriri quòd nulla sint earum cogitationum in cerebro vestigia, quorum ope conservatur memoria. Sed primùm hîc statuunt rem obscurissimam; nempe, Spiritus quidem, aut certè Mentes humanas sine interventu corporis cogitare, sed memoriâ nullâ valere. Non licet autem, sine ratione, ponere quidquid defendendæ hypothesi conducit. Deinde cui usui esset ea cogitandi, sine corporis interventu, facultas, quæ se in somnis exserit, si nulla sit Menti cogitationum memoria? Quænam potest esse sine memoria ratiocinatio? Si eam tantùm cogitationem teneam, quæ mihi actu inest, sed reliquarum omnium præteritarum oblitus sim; inter se propositiones comparare, adeóque ratiocinari nequeo.

8. Quintò, objicitur *Cartesio*, perpetuâ, etiam in somnis, cogitatione efficere eum ex uno eodémque homine duos homines. Nam homo vigilans est sibi conscius eorum, quæ vigilans facit, eorumdémque recordatur. Potest dicere se hæc facere, se scire hæc à se gesta. At idem homo dum dormit, sine somnio,

nio, alia omnia cogitat, quæ nullum habent connexum cum iis quæ vigilans cogitarat. Dormiens ſine ſomnio non magis recordatur eorum quæ fecit vigilans, quàm ſi ab alio eſſent facta, ipſo neſcio; vigilans non majorem memoriam habet eorum quæ dormiens cogitavit, quàm ſi ab alio homine eſſent cogitata. Ita eadem Mens duas veluti perſonas ſuſtinet. Ubi corpus vigilat, ejus operâ utitur ad memoriæ conſignandas cogitationes ſuas, quas ex memoriæ corporeæ tabulario, quando vult, repetit & recognoſcit. Sed corpore ſopito, clauſum id tabularium eſt, Mens nihil in eo reponere poteſt; & quantumvis cogitet, clancularíæ illæ cogitationes in nulla acta referuntur, Mentíque ipſi poſt aliquot momenta latent.

9. Poſſent & alia plura adferri, quæ *Carteſio* objiciuntur, verùm hæc ſufficiunt ut conſtet hypotheſin viri ſummi (nam mera hypotheſis eſt, nullâ demonſtratione nixa) iis laborare incommodis, ut nulla ſit ratio cur ei mordicùs, quaſi commodior eſſet omnibus iis, quæ hactenus inventæ ſunt, adhæreamus.

10. Hinc colligere eſt nobis quidem notiſſimum eſſe Mentem cogitare, neque ullam aliam proprietatem perſpicuè in ejus natura à nobis deprehendi, ſed non ſequi nihil in ea eſſe aliud; imò neceſſe eſſe in Mente eſſe aliquod ſubjectum cogitationum, cùm ſingulæ ſint accidentia, licèt nobis ignotum, ſeu quamvis ejus naturæ nobis conſcii non ſimus.

11. Præterea videtur ſubjectum illud ſine cogitatione, ut corpus ſine motu, eſſe poſſe; quod eſt experientiæ conſentaneum, ut rationes è nocti-

noctibus ſine inſomnio tranſactis petitæ oſtendunt. Ut meliùs hoc intelligatur, comparatione corporis, & Mentis utemur, non ut argumento, ſed doctrinæ causâ. Videmus rapidiſſimum motum paullatim minui, per gradus varios, ut tandem planè deſinat, corpúſque in perfecta quiete remaneat: ſic quoque Mentem ſentimus vividiſſimis ideis occupatam, adtentiſſimam eſſe, & omnes earum partes diſtinctiſſimè pervidere; paullò pòſt minuitur vividitas idearum, adtentio veluti ſubſidit, & confuſiùs à mente conſiderantur; jam uni ideæ non magis adtenta quàm aliis, tranſeuntes coram ſe perfunctoriè ſpectat, neque ampliùs uni immoratur quàm alteri, quo tempore dicimur *cogitare de nihilo*. Inde Mens ideas prætervolantes ferè negligit, ac ſpectare dedignatur; tum confuſa omnia apparent, & adeo leviter iis adficitur ut vix percipiat; donec tandem torpedine quadam veluti oppreſſa, ne leviter quidem quidquam animadvertat. Tunc demum prædúcta ſomni cortina ſpectacula omnia idearum Menti intercipit.

12. Unuſquiſque poteſt in ſe obſervare, ubi à vigilia in ſomnum paullatim delabitur, annon ſimile quid in ſe fiat. Hoc probè expenſo, viderit an malit ſibi credere, quàm Hypotheſi pro arbitrio arreptæ, neque ullo certo argumento ſuffultæ. Hoc tamen poſſit in gratiam *Carteſii* dici, ſi Mens ſit ſæpe ſine ratiocinatione, at non eſſe ſine ſenſu quopiam corporis ſui; ac proinde ſine cogitatione, etiam in arctiſſimo ſomno. Sed quamvis perpetuus fermè ſit is ſenſus, attamen poteſt fortè fieri ut interdum eo, non minùs quàm ratiocina-

 tio-

tione, careamus. Certè semper eum nobis adesse, nemo invictè probarit.

CAPUT III.

De Proprietatibus, seu facultatibus Mentis summatim, & singillatim de Intellectu, Voluntate, Sentiendi facultate, & Libertate.

1. POstquam summatim ostendimus hanc solam Mentis proprietatem nobis esse notam, quòd cogitet, aut cogitare possit; jam quotuplicia potissimùm aut cogitationum, aut facultatum ad cogitationem pertinentium genera in ea deprehendamus accuratiùs videndum est.

2. Septem sunt præcipuæ Mentis facultates, quas singillatim contemplari operæ pretium est: 1. *Intellectus:* 2. *Voluntas:* 3. *Sentiendi facultas:* 4. *Libertas:* 5. *Phantasia:* 6. *Memoria:* 7. *Habitus* varii repetitis actibus contracti. Hoc Capite quatuor priores expendemus, Capite sequenti reliquas tres explicaturi.

3. Voce *Intellectûs* hîc significatur ea *Mentis facultas, quâ res prorsus incorporeas intelligit;* exempli gratiâ, ideas abstractas, & quæ ad Mentis ipsius naturam pertinent, in quibus nullam proprietatem corpoream cernimus. Hæc facultas solet etiam *intellectus purus* dici, ejúsque objectorum ei obversantium perceptio *intellectio pura.* Opponitur, nempe, intellectioni rerum corporearum, aut quâ ideæ saltem quædam corporeæ percipiuntur.

4. Intellectus dicitur *facultas passiva*, quòd cùm

cùm Mens nostra intelligit nihil propriè agat, sed objecta tantùm quædam excipiat. Est, nimirum, instar oculi, qui nihil agit, ubi objecta considerat, nisi quòd eorum excipit imagines. Nihil iis addit, nec detrahit, sed quales ad se veniunt admittit.

5. Scholastici quidem distinguunt intellectum *theoreticum* & *practicum*, sed ea nomina ex natura potiùs rerum, quæ tunc considerantur, quàm ex intellectionum diversitate petita sunt. Etenim intellectum *theoreticum* vocant eum, qui circa res meræ speculationis, seu veritatem & falsitatem, simpliciter in se spectatas, versatur; *practicum* verò qui *bonum* & *malum*, & quæ ad praxin pertinent considerat. Verùm aliud non patitur Mens, in intellectione boni, & mali, quàm ubi verum aut falsum intelligit.

6. *Voluntas* altera est facultas, *quâ volumus aut nolumus aliquid contemplari Mente, aut fieri à corpore, quatenus ab imperiis voluntatis pendet.* Ita ideas Menti obversantes volumus diutiùs considerare, aut aliò Mentis aciem avertimus. Volumus moveri brachium, aut membrum aliud, quod voluntatis subest imperiis.

7. Quando Veritatem investigamus, comparatione variarum idearum institutâ, si nondum satis perspicuæ sint ut relationem earum deprehendamus; interdum eas diutiùs considerari, interdum omitti, nec ullam Propositionem de iis memoriæ mandari, nisi quòd sint obscuræ, placet; interdum etiam in obscuris ideis inter se confusè comparatis adquiescimus, quasi perspicuè aliquid vidissemus, & memoriæ mandamus aliquam de iis Propositionem, quasi nobis compertam; denique tanta interdum occurrit in ideis perspicui-

tas, ut illico de iis Propoſitiones formemus. Atque hæc vocantur *judicia*, quæ dicuntur cohiberi, ubi Mens dubia ulteriùs rem indagare, aut eam ad tempus, vel in perpetuum, nullâ propoſitione de ea memoriæ mandatâ, miſſam facere vult.

8. Scholaſtici tamen judicium tribuunt *Intellectui*, ac potiſſimùm quidem *practico*; & aliquando ita rem explicant, quaſi crederent Intellectum *theoreticum* rem expendere & verſare; quo peracto, Intellectus *practicus* judicium ultimum ferret, contra quod nulla eſſet provocatio; Voluntate, quæ *facultas* cæca eſt, ejus imperia ſemper exſequente. Verùm dum ita loquuntur, vocibus tantùm ab iis, quæ hactenus diximus, diſcrepant; at rem per ſe facilem, Rhetoricâ quadam fictione, impediunt. Facultates προσωποποιοῦσι & de iis loquuntur, quaſi de variis Entibus ſejunctis, quæ tamen unicæ inſunt Naturæ. Eadem Mens adſentitur, ſeu judicat, cohibet judicium, imperat aut non imperat corpori, quocumque tandem deſignetur nomine. Præſtat loquutiones obſcuras, & quæ incautos in errorem conjicere poſſent, omittere.

9. *Sentiendi facultas* eſt, *quâ ex occaſione quorumdam motuum corporis, dolorem, voluptatem, aut aliam cogitationem, volentes, nolentes in nobis naſci ſentimus.* Circa hanc nulla eſt difficultas, neque aliter meliùs intelligi poteſt, quàm ſi unusquiſque in ſe jubeatur deſcendere, ut videat quid in ſe fiat. Ad corpus quidem quod adtinet, de motu ejus, in ſenſationibus, quædam dici poſſent conſideratu digna; verùm hîc Mentem ſolam ſpecta-

ſpectamus, in Phyſicis de eo quod in corpore fit acturi.

10. *Libertas* eſt facultas, *quâ Mens propoſitioni adſentiri, aut adſenſum negare; optare vel non optare bonum aut malum; cogitationem aliquam fovere, aut amoliri poteſt.* Exempli causâ, credere aut non credere Lunæ ineſſe Mentem, quæ eam circumagat; optare aut non optare bona ſingularia; cogitare ea de re, aut aliò Intellectum avertere poſſumus.

11. Tria de Libertate obſervanda ſunt. Primum eſt, eam à nobis non tribui Voluntati, ſed Menti; nam cùm Voluntas ſit facultas Mentis, alia facultas, qualis eſt Libertas, ei quaſi ſubjecto inhærere, niſi impropriè, dici nequit. Impropriè autem loqui hîc nos nihil cogit, & poteſt ea in loquendo improprietas in errorem conjicere, aut quæ dicimus, ſine uſu ullo, obſcurare.

12. Alterum eſt, Libertatem ſolere dividi in Libertatem *contradictionis* & *contrarietatis*. Prior eſt, quâ Mens poteſt agere aut non, ubi res una objicitur; poſterior, quâ poteſt hoc aut illud agere, ubi plura proponuntur. Verùm in poſterioris Libertatis exercitio nihil occurrit, præter duos actus prioris. Quando enim malo Hebraïca, exempli causâ, quàm Græca legere; primò, nolo nunc Græca legere, ſecundò, malo Hebraïca legere, quàm non legere. Itaque ex iis, quæ de Libertate contradictionis dicentur, facilè poterit de altera judicium ferri.

13. Tertium eſt, non oportere Libertatem cum *ſpontaneitate* miſceri, ſpontaneïtas enim eſt eadem ac Voluntas. Mens nihil poteſt facere

 niſi

nisi sponte, hoc est, volendo, hæc enim sola est actio Mentis. Itaque non potest spontaneïtas in volendo Menti eripi, nisi eripiatur ipsa Voluntas. At potest Mens non liberè adsentiri, non liberè cupere, non liberè quid sentire, uno verbo velle non liberè; quod paullò fusiùs diducendum est.

14. I. Sæpiùs in Logica observavimus, ubi idearum, quas contemplamur, relationes summam perspicuitatem consequutæ Menti nostræ obversantur, nos non posse Propositioni, inde in animo nascenti, adsensum negare. Ita postquàm comparavimus duos numeros, eosque æquales deprehendimus; fieri nequit, ut inæquales eos esse putemus. Qui comparavit tres decades, cum tricenario numero, non potest ampliùs dubitare quin ii duo numeri sint æquales. Contrà ubi ideæ quas Mente comparamus adhuc obscuræ sunt, sentimus nos posse de relatione, quam nondum distinctè videmus, dubitare. Ita cùm duos numeros nondum distinctè novi, sed varias summas quibus constant leviter lustravi, possum dubitare æqualésne sint, an inæquales; aut judicium etiam in alterutram partem ferre, prout mihi libet; licèt ejusmodi judicium temerarium sit. Sic quotidie videmus homines de rebus gravissimis, planè incompertis, judicare; qualia sunt ea quæ ad Religionis controversias pertinent, de quibus ignarissimi, pro se quisque, sine provocatione judicant. Igitur est Libertas judicii in rebus obscuris, quæ nulla est in evidentibus.

15. II. Omnes homines sponte naturæ beati esse optant; quidquid agunt, quidquid moliuntur,

tur, eò tendit, ut felices vivant, &, si fieri possit, æternam consequantur beatitudinem. Tantâ vi cò feruntur, ut nequeant in contrarium tendere, aut non optare felicitatem. Itaque ubi de summo agitur bono, nulla est deliberandi Libertas, id necessariò concupiscimus. At bona minora, ut sunt omnia, quæ ad hanc vitam pertinent, optare, aut non optare, quærere aut negligere possumus. Nullâ ineluctabili cupiditate ad ea amplectenda ferimur. Exempli causâ, optare voluptatem percipere, quæ est in comedendo fructu quopiam, eumdémque negligere quisque se posse sentit. Ubi putamus boni cujuspiam præsentis fruitionem noxiam postea nobis futuram, id refugimus. At nihil quidquam est, quod in nobis summæ beatitudinis cupiditatem exstinguere queat. Hinc cupiditatem bonorum singulorum esse liberam, sed summi illius boni, quod omnia complectitur, cupiditatem necessariam esse cognoscimus.

16. III. Corpore nostro certo modo disposito & adfecto, necessariò quædam sentimus; quas sensationes, quamvis velimus, amoliri nequimus. Ita si manus nullo morbo corrupta uratur, necessariò sensationem molestissimam habebimus, licèt nolimus. Si, bene disposito corpore, sitientibus offeratur gratus liquor, hunc summa cum voluptate hauriemus. Hac in re nulla est Libertas. Sed in amoliendis aut vitandis causis externis, quæ nobis dolorem creant; aut in iis corpori nostro admovendis, si dolorem illum postea nobis valetudinem, aut bonum majus conciliaturum judicemus, Libertate ut possumus. Hic observandum, ad vo-

luptatem quod adtinet, ſponte quidem nos & libenter eam ſentire, ſi eam putemus eſſe ἀμεταμέλητον, ſed non liberè; quoniam bibendo, exempli causâ, cereviſiam frigidam, in magno ardore ſitis, non poſſumus impedire quin voluptatem percipiamus. Atque hæc eò diligentiùs ſunt animo infigenda, quòd quidam, datâ operâ, ſpontaneïtatem cum Libertate perpetuò confundant.

17. Hiſce ita conſtitutis, aliquid addendum de quæſtione celebri; quoniam Mens in multis, ut vidimus, libera ſtatuitur, *quâ re fiat ut, in ejuſmodi rebus, ad quidpiam volendum adducatur?* Reſpondent Scholaſtici Mentem, ſeu Voluntatem, ut illi loquuntur, adduci ultimo Intellectûs practici judicio, quo lato non poteſt Voluntas non id exſequi; hoc eſt, cùm Mens aliquid judicavit eſſe volendum, id velle; quod veriſſimum eſt, nam judicare eſſe volendum, & velle idem ſunt. Verùm hoc non ſatisfacit quæſtioni, quæ non ſolvitur niſi oſtendatur quid faciat ut in rebus ejuſmodi Mens judicium ferat.

18. Præſtat ergo reſpondere verè quidem Menti obverſari ut plurimum aliquam rationem, propter quam eò fertur ut velit, nunc obſcuriorem, nunc clariorem; eámque cùm ex objectis, tum ex noſtra ipſorum diſpoſitione naſcentem; ſed id quo fit ut Mens adquieſcat in certo judicio, quando agitur de re libera, eſſe in ipſa Mente, quæ adquieſcit, quia vult adquieſcere, cujus voluntatis nulla eſt neceſſaria cauſa. Quæritur exempli causâ, an judicaturus ſim de re non comperta, nécne? ſi judicem, aut judicio abſtineam, quid Mentem meam in alterutrum inclinabit? Eſt quidem interdum ratio ab altera parte, ſed cùm negetur eſſe invicta, quæritur quid ei pondus addat? Quoniam nullam ipſi, qui talia judicia ferimus, poſſumus rationem proferre; ſequitur ut nulla ſit, præter Menti inſitam Libertatem, quâ fertur quò vult (in rebus obſcuris, aut bonis ſingularibus) ſine ulla impellente cauſa, extra ipſam ſita. Atque hoc jam in Ontologia attigimus, ubi de Contingentia egimus.

19. Proponitur & alia Quæſtio, utrum nempe *poſtquàm Mens judicavit eſſe aliquid faciendum, poſſit tamen contra hoc ſuum judicium agere?* Ea quæſtio non proponeretur, ſi ſatis obſervatum fuiſſet quid judicium ſit. Etenim cùm Mens judicat eſſe aliquid faciendum, eo ipſo facit, quantum in ipſa eſt. Exempli causâ, quæritur utrum ſit Evangelio habenda fides? Si Mens judicet eſſe habendam, eo ipſo Evangelio credit; nam judicare aliquid eſſe verum, & verum credere perinde eſt.

20. Verùm paſſim Mens judicat agendum eſſe contra id quod verum, aut juſtum credit; hoc eſt, externis actionibus, in quibus intervenit Corpus, repugnari internis luminibus. Ita cùm aliquis per totam vitam homicidium illicitum eſſe judicarit, attamen adfectu perturbatus homicidium admittit. Poteſt etiam Mens, poſt judicium aliquod verum à ſe latum, ejus aut infirmitate, aut perturbatione, aut alia de cauſa, oblviſci; & falſum poſtea de eadem re judicium ferre. Poteſt quod ſummatim judicavit non rectè ſingularibus rebus aptare. Tunc dicitur

contra conscientiam, seu proprium judicium antea latum, agere. Sed numquam eodem tempore atque eodem respectu vult & non vult, hoc enim repugnat.

21. Denique quæritur, quid sit illud ipsum quod facit ut quispiam, exempli causâ, malit homicidium committere, quàm humano sanguini parcere? Hoc ex tranquillo Mentis judicio, quod nascatur ex comparatione quarumdam idearum, adeò ut omnibus expensis Mens judicet melius esse hominem interficere, quàm non interficere, non fluit; sed ex adfectu, cui semper cum voluptate indulgemus. Qui enim irâ percitus est in aliquem, propter contumeliam ab eo acceptam, aut quid simile, libenter & cum voluptate illi malefacit. Hinc sine ullo judicio, ex collatis ideis elicito, dum ira vehemens est, bruto veluti impetu eum interficit.

22. Eadem est ratio omnium, quæ sine certis rationibus facimus; impetu quodam in ea ferimur, propter voluptatem, quam in iis perpetrandis experimur. Solâ voluptatis cogitatione occupata Mens, eò, sine ulteriori examine, fertur.

23. Neque tamen ea voluptas tantam vim habet, ut ineluctabiliter Mentem eam in partem flectat: quemadmodum Mens necessariò, ad amandum summum bonum, fertur; cujus rei hoc certum indicium habemus. Si edicto vetarent omnes Principes & Magistratus optari summum bonum, & exquisitissimis suppliciis eos adficerent, qui optare se beatitudinem aliquâ actione testarentur, quàm primùm illis esset to-

totum humanum genus interficiendum; & si ipsi legibus suis stare vellent, sibi-ipsos manus, interfectis carnificibus, adferre oporteret. Nam nulla est ratio vitandæ ejus cupiditatis; nec eam dissimulare quisquam potest. Sed si Principes & Magistratus alicubi vetarent vinum bibi, & gravibus bibentes plecterent pœnis; brevi tempore, vini bibendi cupiditatem omnium animis evellerent.

24. Hinc colligimus Mentem liberam esse, ubi est adsensus præbendus aut negandus obscuræ, seu non evidenti Propositioni; aut bona quædam, quæ non sunt summum, ad quod sponte naturæ tendimus, ei vitanda, aut amplexanda offeruntur. De non evidentibus judicare, aut cohibere judicium; bonum quodpiam singulare quærere, aut omittere potest.

25. Solent Scholastici proponere hîc Quæstionem, quam omittere quidem potuissemus, quippe quæ ex superioribus facilè solvitur; neque in animum eorum veniet, qui ea legerint. Quia tamen nobilis est, ei vocibus solitis conceptæ posita à nobis principia adcommodabimus. Quærunt an *Voluntas possit ferri in malum, quâ malum*? Negant magno consensu, & meritò quidem, nam *malum* nihil aliud est hoc in loco, nisi quod nobis aliquam molestiam sine fructu ullo, ei molestiæ æquiparando, creare posse judicatur. Quamdiu autem aliquid nobis ita displicet, hoc est, quamdiu voluntas id aversatur, non potest idem placere, aut voluntas in id ferri; sunt enim hæc repugnantia.

CA-

CAPUT IV.

De Phantasia Memoria, & Habitibus Mentis.

1. MEns nostra non modò quæ proprietatibus omnibus corporeis destituta sunt, ut ideas abstractas, & propositiones generales, aliáque incorporea intelligit; verùm etiam rerum corporearum imagines ante se versantes videt; cùm ubi præsentes, tum ubi absentes res ipsæ sunt. Videmus obversantem nobis arborem, quando interdiu arborem intuemur; eamdem in somnis interdum cernimus, & vigilantes absentem in memoriam revocamus. Ea Mentis facultas *Phantasia*, quòd *Phantasmata*, seu imagines corporearum rerum contempletur, dici solet.

2. Ut intelligamus facultatis hujus naturam, accuratè distinguendum quod in animo nostro fit, nobis consciis, quando quidpiam imaginamur, ab eo cujus conscii non sumus, sed quod ratione colligimus. Prius dicitur esse in Mente, posterius in Corpore.

3. Ut à posteriore initium faciamus, quando nobis obversatur vigilantibus objectum corporeum, primùm radii lucis ab eo objecto ad oculos nostros veniunt, ut in Physica ostendemus; secundò, ii radii, qui instar fluctuum internas oculorum partes feriunt, movent nervos, quibus tunica oculorum quæ *retina* dicitur constat; tertiò, is motus nervorum ab oculorum intima par-

parte ad cerebrum porrigitur. Hæc ita se habere colligimus ratiocinationibus, quæ potiùs ad Physicam, quàm ad Pneumatologiam pertinent, neque à nobis hîc memorabuntur.

4. Hoc peracto, Menti nostræ obversari ideam rei extra nos positæ sentimus. Hîc non quærimus quis sit nexus in cerebro excitati motûs & ejuscemodi ideæ; satis est modò constet, quando fit ejusmodi motus, ideam objecti Menti se ingerere. Nobis illis motibus cerebri adsuetis, evenit etiam ut, absentibus objectis, eodem modo, quæcumque tandem sit causa motûs, ac solet objectis præsentibus, moveatur. Atque hæc perceptio objectorum propriè *Phantasia*, vel *Imaginatio*, in sermone potissimùm quotidiano, vocatur.

5. Igitur Menti inest facultas absentium objectorum imagines percipiendi, seu in somnis, cerebro, insciâ Mente, temerè moto; seu in vigilia, eo motu Mentis imperio in cerebro excitato, fiat.

6. Non inquiremus hîc quænam sint imagines, quæ proximè Menti sese objiciunt, quando videt aut imaginatur quidpiam. Disquisitio ea singulari Capite digna est. Verùm quæritur, quî fieri queat ut Mens quidpiam imaginari velit? Nempe, ut cupiat aliquid imaginari, oportet jam illi hoc esse notum, nam ignoti nulla cupido. Quæritur autem quomodo notitia ejus rei ad Mentem perveniat? Respondemus, 1. posse excitari, aliqua mechanica de causa, motum tenuem in cerebro, quò subobscura ejus rei nascatur Menti imago, quàm Mens clariorem esse cupit: 2. Mentem, quædam similia,

milia considerando, aut imaginando, aliarum rerum iis conjunctarum ad se quodammodo ideas advocare.

7. Plura solent de Phantasia agitari, sed quia pendent ex cognitione accuratiore cerebri, & totius corporis humani; ea hîc prætermittemus, ut ad Memoriam transeamus.

8. *Memoria* dicitur *ea facultas, quâ quod imaginati sumus, aut sine imagine corporea intelleximus, aut sensimus, ita coram Mentem revocamus, quando volumus, ut rursus ejus rei nobis obversetur idea.* Certissimâ experientiâ constat, inesse Menti ejusmodi Facultatem; sed quomodo exerceatur, non ita compertum est.

9. Sunt qui velint Memoriam ope cerebri ita exerceri, ut turbato cerebro, aut violento motu, aut aliâ ratione, Menti rerum quas olim norat nulla supersint vestigia. Quotiescumque de re quapiam cogitamus, motu quodam nostrum cieri cerebrum aiunt. Unde fit ut quotiescumque idem motus incipit, rei illius, quam motus ille comitari solitus est, illico nascatur memoria. Quia autem sæpe evenit, ut de duabus rebus eodem tempore cogitaverimus, ac proinde ut motus duo simul in cerebro nostro orti sint; hinc, si illis credimus, fit ut alterutro eorum motuum excitato, excitetur etiam alter, ac proinde unius rei memoria alterius in Mentem revocet ideam.

10. Quærentibus quâ ratione motus, qui semel desiit, rursus ab alio creari queat, cum quo olim excitatus fuerat? reponunt motus cerebri in ejus fibris excitari, ope tenuissimarum sanguinis partium, quæ *Spiritus animales* vocantur & nervis potissimùm continentur; hos autem Spiritus certâ ratione fibras flectere, ut flexionis illius supersint vestigia: aut poros certos permeare, quos si sæpius ingressi fuerint, apertos relinquunt: unde fit ut facilè postea eosdem subeant poros, aut per certas fibrarum cerebri flexiones fluant. Si ergo simul fluxerint per certas cerebri partes, & pori quos permearunt meatibus quibusdam conjuncti sint; ubi rursus porum unum subeunt, facilè, ut putant hi Philosophi, per apertos meatus fluunt, & conjuncta olim vestigia rursus renovant.

11. At si tanta mutatio facta in cerebro esset, ut omnia priora vestigia deleta, omnes pristini meatus occlusi aut mutati essent; tunc nulla, inquiunt, præteritarum rerum superesset memoria, quod quibusdam longinquis morbis contigisse memoriæ proditum est. * *Nec aliud est æquè fragile in homine, morborum & casûs injurias atque etiam metus sentiens, aliàs particulatim, aliàs universa. Ictus lapide oblitus est litteras tantùm. Ex prælto tecto lapsus matris & adfinium, propinquorúmque cepit oblivionem. Alius ægrotus servorum etiam; sui verò nominis Messala Corvinus orator.*

12. Propter eamdem causam fieri aiunt ut ebrii multa faciant, quorum, ubi crapulam edormierunt, nulla ipsis superest memoria. Nempe, fumis vini adeò cerebrum impletur, ut vestigia rerum quas egerunt deleantur. *Postero die*, ait † Scriptor modò laudatus, *ex ore halitus cadi, ac ferè rerum omnium oblivio, mórsque memoriæ.*

13. Quin

* *Plinius Hist. Nat.* L. VII. c. 24.

† *Id. Lib.* XIV. c. 22.

13. Quin ea memoriæ explicatio philoſophica ſit ingenioſiſſima, & multis phænomenis apprimè ſatisfaciat nemo inficietur. Sed duæ potiſſimùm difficultates vix, e;us Hypotheſeos ope, ſolvi queant. Prima eſt non capi quâ ratione omnium eorum, quæ memoriæ mandavimus, quæ infinita pænè ſunt, & quotidie augentur, poſſint certa & diſtincta in cerebro ſervari veſtigia. Innumera ſunt vocabula & phraſes, ideæque abſtractæ & concretæ omnium generum, quorum diſtinctè recordamur; & quorum omnium, ſi ſint diſtincta in cerebro veſtigia, cerebrum noſtrum capacius eſſe vaſtiſſimâ Bibliothecâ fatendum eſt. Quæ enim volumina non ſcriberentur à viro memoriâ præſtante, ſi omnia quorum meminiſſet, parva, magna, litteris conſignaret? *Vide Auguſtinum Confeſſ. Lib. X. c.* 8. *& ſeqq.*

14. Altera difficultas eſt, ex Hypotheſi memoratâ, ita recordandi facultatem à cerebro pendere, ut Menti ſine eo nulla tribuatur; quod ſanè cum eorum ſententia, qui Menti ſoli cogitandi facultatem ineſſe aiunt, non conſentit. Cui enim uſui illa cogitandi facultas ſeparatæ eſſet Menti, quæ præteritæ cogitationis nullius recordaretur? Oporteret Mentes corpore deſtitutas in perpetua omnium rerum ignorantia, licèt per totam æternitatem cogitarent, verſari. Cùm enim præſentia tantùm cognituræ eſſent, præteritorum omnium oblitæ, quæ comparari poſſet eruditio? Ne longiuſculam quidem ullam ratiocinationem inire poſſent, quoniam cùm ad extremam propoſitionem deveniſſent, primarum deleta eſſet memoria. Denique unoquoque

quoque

quoque momento, quo nova inciperet cogitatio, Mens, quæ eâ percelleretur, eſſet veluti nova Mens, quæ tum exſiſtere inciperet; cùm præteritæ exſiſtentiæ non recordaretur, & proinde ſe tunc primùm eſſe crederet. Igitur ii, ex quorum ſententia memoria à cerebro prorſus pendet, Mentes ſeparatas inferiores prorſus Mentibus conjunctis faciunt; quod tamen nollent, quippe qui Mentem à corpore præpediri dictitare ſolent.

15. Si contendant ſe Mentibus ſejunctis memoriam tribuere à Corpore minimè pendentem, doceant nos oportet quomodo Mens, dum Corpori conjuncta eſt, eam non habeat; quam ſtatim, à ſoluto Corporis vinculo, habitura ſit. Sanè quemadmodum certò conſtat eam ineſſe nobis facultatem, æquè eſſe ignotum quo pacto exerceatur fatendum eſt. Neque objici poteſt, eam partim ſaltem in Corpore ſitam eſſe, quoniam adfecto Corpore mutatur; nam quid obſtat quominùs dicamus, propter conjunctionem Mentis & Corporis, peturbato Corpore, præpediri facultatum ejus uſum? Mens quidem ſola, ſecundùm *R. Carteſium*, ratiocinatur; attamen cerebro perturbato, ratiocinari deſinit, aut in delirium agitur.

16. Neque mirum ulli videri queat, ſi dicamus ineſſe Menti noſtræ facultatem, quam quomodo exerceat neſcit; quandoquidem cùm nemini dubium ſit, quin percipiendi facultate, ſeu Intellectu ſit prædita, nemo idearum ei obverſantium naturam, modúmque quo eas intelligit, adhuc cum aliqua veriſimilitudine explicare potuit.

17. Si

17. Si quis quærat, quomodo Mens possit in Memoriam revocare ea quorum oblita est? Respondebimus ferè idem, quod suprà de Imaginatione §. 6. diximus: 1. Cognitâ aliquâ rei circumstantiâ, reliquas revocat; si enim nulla prorsus superesset, neque ab ullo suggereretur circumstantia, de ea re ne scire quidem possemus nos olim cogitasse: 2. Experientiâ novimus inter res semel in animo nostro conjunctas, eum esse connexum, ut una in memoriam revocata alias, quasi fune quodam, trahere soleat.

18. Postea quàm quid de Memoria notum, quid ignotum sit ostendimus, ad omnes Habitus Mentis in genere transibimus. Atque *Habitum* quidem in genere vocamus *Adfectionem certam, repetitis actibus adquisitam, quâ Mens faciliùs de re quapiam cogitat, aut aliquid vult, quàm antea.* Ita lectione librorum Geometricorum, adquiritur habitus intelligendarum demonstrationum Mathematicarum, sine labore ullo; cùm non adsuetis, etiam perspicacibus ingeniis, res sit primâ fronte difficillima.

19. Hîc quoque de re constat, de modo rei non est levis difficultas. Verisimillima tamen videtur eorum sententia, qui Habitus à Memoria distingui negant, quorum aliquot argumenta proferemus. Existimant actus, qui Habitibus tribuuntur, debere Memoriæ tribui, quod hoc modo probant.

20. I. Dividuntur Habitus in *Intellectuales*, & *Morales*. Inter intellectuales est *Scientia*, quæ in eo sita est ut Disciplinæ principia & consectaria teneamus. Hæc autem quid est, præter Memoriam, quæ in animum principia olim cognita, & consectaria inde deducta revocat? Cùm scienter quispiam ratiocinatur, de re quam probè tenet; quid aliud facit, nisi quòd propositiones olim notas memoriâ recolit, & cum aliis comparat? Si oblivisceretur se umquam de re illa ratiocinatum, & omnium actuum Mentis circa id objectum deleta omnis esset Memoria; quî, quæso, posset doctè disputare? Idem de reliquis habitibus intellectualibus dixeris. *Morales* vocantur Virtutes & Vitia, quæ pendent etiam ex Memoria, ut Exemplo Ebrietatis, & Sobrietatis liquebit. Sobrietatis habitu is præditus esse dicitur, qui legum Sobrietatis memor, sæpè sibi à nimiis cibis, nimióve potu temperavit; quod cùm in animum revocat, facilè sobrius esse pergit. Quò plures Sobrietatis actus edit, eò magis virtutis ejus memoriam recolit; adeò ut quotiescumque aliquâ occasione in contrariam partem trahitur, illico Sobrietatis idea Menti ejus sese ingerat, hominémque ab intemperantia deterreat. Similiter ebriosus memoriæ præsentem habet voluptatem, quam bibendo sæpiùs expertus est; eáque tantopere adficitur, ut primæ cuique occasioni plus satis bibendi succumbat.

21. II. Nemo negarit actionum bonarum & malarum superesse memoriam; quo tamen posito, ad habituum naturam describendam, aliud nihil postulatur. Habitus facultatem certo modo adficiunt, in certam partem inclinant, vires & facilitatem ad quædam peragenda addunt; quæ omnia à Memoria fiunt, ut aliò confugere supervacuum sit. Quando recordamur quo modo & quo

quo ordine aliquid fecerimus, modo ne externa ſubſidia quæ neceſſaria ſunt deſint; nihil aliud, ut facilè idem à nobis denuò fiat, deſideramus. Quò vividior eſt Memoria, eò facilior actio. Pictor qui aliquoties vultum, aut corpus humanum pinxit, ideam ejus Menti obverſantem, ut denuò ſimile quid pingat, ſpectet neceſſe eſt.

22. III. Ex ratione, quâ Habitus & Memoria ingenerantur & delentur, augentur & minuuntur, ac connexu qui inter hæc intercedit, ex Memoria agere, aut Habitui obſequi idem eſſe colligimus. Habitus & Memoria procreantur ſenſim, iiſdem cogitationibus ſæpiùs repetitis; & quò frequentiùs hæc cogitamus, eò firmiores & Memoria & Habitus fiunt. Contrà paullatim minuuntur, prout minùs ac minùs eaſdem cogitationes animo verſamus; donec iis longo tempore omiſſis, & Memoria & Habitus prorſus intercidant. Memoria non habet ſemper actu ſibi obverſantes omnes ideas, quas tamen quando volumus ad animum revocamus. Eas quaſi in penu quodam ſervat, unde quotieſcumque neceſſe eſt depromuntur. Sic & Habitus perpetuò non agunt, quieſcunt identidem, & ubi opus eſt exſeruntur; unde peritus Artifex eamdem ſoliti operis elaborandi dexteritatem, ſeu quieſcat, ſeu operi incumbat, ſecundùm Horatianos verſus, habere cenſetur:

Ut quamvis tacet Hermogenes cantor, tamen æquè
Optimus eſt modulator, & Alfenus vafer, omni
Abjecto inſtrumento artis, clauſáque tabernâ,
Sutor erat.

Po-

Poteſt denique obſervari nexus; qui inter Habitus & Memoriam eſt, in eo quòd ubi alterutrum deſinit, alteri quoque finis imminet. Ætate florentes, & quibus adhuc eſt felix Memoria, quidquid edidicerunt facilè faciunt: contrà ſenes, quos deficit Memoria, non ampliùs id facere quod in juventute factitabant queunt.

23. Hæ ſunt præcipuæ rationes, quibus utuntur, qui habitus Spirituum à memoria non differre volunt. Scholaſtici ſolent diſtinguere habitus ſimul ac ſemel *infuſos* à Deo, ab *adquiſitis* repetitis actibus. Verùm hæc ſunt Theologica, quibus immorari nos non patitur inſtitutum noſtrum. Non moramur quoque diviſionem Ariſtotelicam habituum in quinque genera, quibus impoſuit nomina *Artis*, *Scientiæ*, *Intelligentiæ*, *Sapientiæ & Prudentiæ*. Ut enim vocabulis ſenſum quem voluit tribuit: ita ad cognitionem ignotarum alioqui rerum, eâ diviſione, nullomodo nos deducit.

Caput V.

De Idearum Natura, atque an ſint innatæ?

1. Quæ de Ideis hîc obſervanda habemus, ad tractationem de Intellectu & Imaginatione pertinent; ſed quia plura hac de re, quam ut commodè ſuperioribus, eodem in Capite, conjungi poſſent dicenda habebamus, ideò in ſingulare Caput ea conjicienda cenſuimus.

 2. Ante

2. Ante omnia, hîc nobis duo monenda ſunt, quorum primum eſt nos voce *Ideæ* intelligere *id quod Intellectûs noſtri immediatum objectum eſt*; ſeu *quod Intellectus noſter immediatè contemplatur*. Alterum eſt, pro ejuſmodi objecto immediato non haberi Mentem ipſam, ſi quando de ſe cogitat; neque enim ſe contemplatur, ut reliqua omnia, in Idea quadam externa, ſed tantùm ſenſationes ſuas internas adtendit.

3. Ut meliùs intelligatur quid ſit Idea, conſiderandum eſt quid nobis eveniat, cùm Ideas per ſenſus externos ingeſtas conſideramus, & cùm Ideas abſtractas & incorporeas contemplamur. Cùm montem conſideramus, lux ad oculos noſtros adpulſa nervos opticos movet, motúſque is ad intimum cerebrum pertinet. Commoto intimo cerebro, nobis montis obverſatur Idea, ſeu Mens noſtra montem videt. Ea Idea, quæ Menti tunc ſeſe objicit, non eſt motus cerebri; quid enim motus fibrarum cerebri ſimile habet imagini montis? Non eſt etiam ipſe mons, nam ea Idea modò minor, modò major eſt, pro montis diſtantia, cùm mons ſemper idem ſit. Non eſt modificatio, aut eſſentia Mentis, nam præterquàm quòd ſentimus ingens eſſe diſcrimen inter Ideæ perceptionem, & ſenſationem; quid habet Mens noſtra ſimile monti, aut innumeris ejuſmodi Ideis?

4. Quando Ideam Virtutis contemplor, ut Miſericordiæ; nihil mihi obverſatur, quod ſimile ſit rei actu exſiſtenti; neque enim Ens eſt Ideæ Miſericordiæ in genere ſimile. Non conſidero tunc Mentem meam, nam neque Mens mea, neque ulla ejus adfectio, ullúſve habitus eſt Miſericordia in genere.

5. Poſtquàm vidimus quid non ſint Ideæ, omnium conſenſu, ſupereſſet ut oſtenderemus quid ſint; verùm cùm eò uſque procedere, noſtro judicio, non liceat, aliorum dumtaxat ſententias proferemus, &, quod facillimum eſt, confutabimus. Meliora dare non pollicemur, & ut quiſquam umquam veriſimilem hîc Hypotheſin invenire queat, veremur.

6. I. Scholaſtici exiſtimant ex objectis ipſis manare quædam ſimulacra iis ſimilia, quæ ab iis vocantur *ſpecies impreſſæ*; quia ab objectis imprimuntur ſenſibus externis, unde deferuntur ad *ſenſum communem*, hoc eſt, neſcio quam facultatem, quæ proprietates omnium ſenſuum externorum complectitur. Deinde hæ corporeæ ſpecies offeruntur *Intellectui agenti*, qui eas ſpirituales reddit, & *Intellectui patienti* offert. Tum vocantur *expreſſæ*, quia ab Intellectu agente ex impreſſis exprimuntur, & per eas tandem Intellectus patiens objecta corporea percipit.

7. Ut confutetur ejuſmodi Hypotheſis, nullâ aliâ re opus eſſet, niſi merâ negatione. Nullo enim prorſus nititur fundamento, niſi eorum qui eam invenerunt opinione; quam veram eſſe, quòd aliam commodiorem non noſſent, ſibi perſuaſerunt. Sed 1. nobis conſcii non ſumus duplicis illius Intellectûs, ſed tantùm *patientis*; ſentimus enim, cùm objectum animadvertimus, nos tantùm pati. 2. Quî poteſt fieri ut Intellectus ille agens res animadvertat, quas non percipit Intellectus patiens? Quodnam eſt eorum diſcrimen? Cui uſui deni-

 que

que est Intellectus ille patiens, qui nihil animadvertit quod ab altero jam perceptum non sit? 3. Quomodo possunt emanare ex objectis corporeis tot species, sine corporum imminutione? Quomodo possunt undequaque ex innumeris corporibus, ad oculos nostros, venire species distinctæ? Sed diutiùs absonam Hypothesin, quæ solâ negatione destruitur, confutare opus non est.

8. II. Alii fatentur quidem nullas esse ejusmodi species, & Mentem percipere censent ex occasione quorumdam cerebri motuum, quibus nihil cum objectis commune; sed in sententiam, priore haud faciliorem intellectu, delapsi sunt. A Mente Ideas rerum quas percipit, creari volunt.

9. Verùm hîc rursus occurrit, quod priori sententiæ objecimus. Nempe, mirum esse Ideas à Mente nostra, nobis insciis, creari; nam cùm nobis subitò obversantur varia objecta, priusquàm de iis cogitaverimus; imò interdum nobis invitis, oportet eorum Ideas à Mente inscia, aut etiam invita, gigni. Deinde unde novit Mens Ideas, quæ certis cerebri motibus respondent, esse progenerandas, quando ne motus quidem cerebri animadvertit? Verè quidem Mens interdum eorum, quæ purâ intellectione percipit, corporeas imagines, commoto cerebro, excitat. Sed & in hoc est difficultas haud levis, nam Mens quomodo cerebrum sit movendum nescit, sed tantùm sibi obversari imaginem quamdam corpoream cupit; & quis sit connexus inter desiderium illud Mentis, & ejusmodi Ideam, qua de re postea dicemus, quærendum superest.

10. III. Alii putant *ideas*, & *perceptiones idearum* easdem esse, licèt relationibus differant. Idea, uti censent, propriè ad objectum refertur, quod Mens considerat, perceptio verò ad Mentem ipsam quæ percipit, sed duplex illa relatio ad unam modificationem Mentis pertinet. Itaque, secundùm hosce Philosophos, nullæ sunt propriè loquendo *Ideæ* à Mente nostra distinctæ; & quando nos dicimus *rerum Ideas percipere*, aut *eas obversari intellectui nostro*, hæ phrases desumtæ sunt ex rebus corporeis; ut cùm dicimur videre picturam alicujus corporis, quando, corpore ipso absente, ante oculos nostros collocatur Tabula. Oculi nihil videre dicuntur, nisi quod extra ipsos est: sic de objectis quoque Mentis solemus loqui, licèt Mens non adficiatur, ut Oculi, Tabulâ quadam externâ rerum quas contemplatur, sed certâ ratione adfecta videat quod extra se est; cùm nihil sit, præter objecta & motum ab iis in cerebrò excitatum.

11. At qui ita rem intelligunt sensationes rerum intra nos, seu intra Mentem nostram, cum perceptionibus rerum extra nos positarum confundunt. Nec si ita se res haberet, uti volunt, satis distinguere quæ sunt tantùm in nobis, ab iis quæ foris sunt possemus. Pungimur exempli causâ, acu, dolorem in nobis esse sentimus, qui Mentis nostræ modificatio est. Sed cùm videmus montem, judicare non possumus montem esse intra Mentem nostram, conscii enim nobis sumus id quod contemplamur extra nos esse.

12. IV. Sunt denique qui velint rerum omnium ideas, quas contemplamur, esse in Deo.

Mentem noſtram judicant immediatè cum eo eſſe conjunctam; ita ut ejus ſubſtantiam immediatè cernat, cùm aliquid cernit, quatenus Dei ſubſtantia continet rei quam contemplamur Archetypum. Cùm enim Deus omnia crearit, & omnia quæ à nobis intelligi poſſunt, creare queat; in eo rerum omnium proprietates continentur; quas Menti noſtræ ipſe ingerit, prout à rebus illis cerebrum noſtrum adficitur, aut eas Mens noſtra contemplari cupit.

13. Ut rerum omnium proprietates reales Deo ineſſe veriſſimum eſt: ita quî fieri poſſit, ut Mens noſtra cernat imperfectiones, ſeu defectus creaturarum in Deo, non capimus. Exempli causâ, ſoliditas quidem perfectio eſt, quam ſi creavit Deus, ut ſanè creavit, intra ſe complectitur; hoc eſt, vim coërcendarum partium, ita ut impellenti reſiſtant; ſed ſolidum certa figura limitatum, aut potiùs limitatio ipſa, ſeu defectus majoris extenſionis, eſt imperfectio, quæ quomodo in Deo cernatur nemo capiat. Neque dixeris in Deo eſſe ſolidum infinitum νοητὸν, cujus partem tantùm videmus, non conſideratis reliquis; nam capi nequit, quâ ratione, Menti obverſante infinito ſolido νοητῷ, in eo videat tantùm quadratum pedale, aut ejuſmodi aliam figuram.

14. Hinc viri acutiſſimi, qui hac de re Gallicè nuper certarunt, magnâ animorum contentione, *Franciſcus Malebranchius* & *Antonius Arnaldus*, quorum ille ultimam tuetur, hic tertiam ſententiam, ſibi invicem multùm negotii faceſſerunt, & mutuis telis ita confoſſi ex eo certamine abierunt, ut uter vicerit haud facilè conſtet. Certè mul-

multis victores eſſe, ubi oppugnant adverſarium; victi, ubi ſe contra irruentem tueri conantur, viſi ſunt.

15. Nos hoc in negotio ἐπέχειν, & naturam Idearum inter ea numerare, ad quorum cognitionem aut omnino pervenire non licet, aut adhuc ſaltem non licuit, tutius cenſemus. Neque hoc mirum videatur, quando ne Mentis quidem ipſius natura nobis nota eſt; quâ ignoratâ, numquam omnes ejus operationes ſatis plenè noſcemus.

16. Altera quæſtio, quam in inſcriptione hujus Capitis tractaturos hîc nos indicavimus, ad id quod ſolet de Ideis, omnibus hominibus naturâ inſitis, jactari, pertinet. Lis eſt inter Philoſophos, num ſint *ideæ innatæ?* quod, aliis negantibus, alii conſtanter affirmant. Ut autem unde ſtet veritas deprehendere queamus, quid ſibi velint voces, quibus concipi quæſtio ſolet, primùm inquiramus neceſſe eſt.

17. Si τὸ *innatum eſſe*, ſignificaret hoc in negotio, *præſens eſſe Menti perpetuò, ab eo uſque tempore quo eſſe cœpit*, vix poſſet ulla eſſe inter cordatiores controverſia; quis enim dixerit ſeriò eſſe Ideam, quam indeſinenter contemplemur? Si eæ voces quidpiam denotarent *quod ante omnem ratiocinationem, omnémque experientiam, Menti primùm exſiſtenti ineſt*; quærendum eſſet quid illud ſit, de quo ante omnem experientiam, omnémve ratiocinationem Mens cogitarit? Nemo ſanè ullius ejuſmodi Ideæ memor eſt; nemo quod non meminit, id in ſe fuiſſe adfirmarit; aut adfirmans fidem apud alios invenerit. Si quis dixerit ſignificari *facultatem homini eſſe naturâ inſitam*, *cujus* ope

ope eas ideas contemplatur, nulla etiam erit controversia; quia sic omnes Ideæ dicentur *innatæ*, & eo sensu innatæ ab omnibus agnoscentur.

18. Igitur omissis iis significatibus, superest ut qui affirmant *ideas esse innatas* hoc sibi velint, Ideas esse quasdam, *quæ aliquando sine occasione objectorum externorum, ac sine ulla deductione consectariorum Menti obversantur*. Si eo numero censerentur tantùm ea quorum conscii nobis sumus, & quæ sine ratiocinatione in nobis sentimus; nullum esset hac de re, inter amantes veritatis, dissidium. Quin enim *intellectionum*, *volitionum*, &c. ab omnibus objectis externis sejunctarum, absque consectariorum subsidio, conscii nobis simus dubium esse nequit. Sed qui *ideas innatas* esse volunt superioribus varias Propositiones adjiciunt, cùm ad meram theoriam, tum etiam ad praxin pertinentes, quas innatas contendunt. Sic, ut aiunt, *Dei* Idea, *partem esse minorem toto*, aliáque generalia axiomata innata sunt. *Virtutum* & *vitiorum* innatæ etiam, si iis fides est, Ideæ. Atque in hisce sita est omnis controversia, omnes enim hujusmodi Ideas aut meditationis operâ, deductione consectariorum, aut ope vel occasione sensuum nobis innotescere alii volunt.

19. Priusquàm sententiæ priori adsensum præbeamus, alterutrum horum evidenter nobis probari necesse est; nimirum, aut aliquem fuisse qui sine objectorum externorum, & consectariorum occasione aut subsidio, *Deum esse*, *partem minorem toto*, &c. aliquid *Virtuti consentaneum*, vel *Vitio adfine* cogitarit: aut hasce ac similes Ideas aliunde ad nos venire non po-

potuisse. Neutrum autem, ullâ ratione, ostendi queat.

20. Nemo est, qui ejusmodi Ideas, sine ulla objectorum externorum occasione, sine consectariorum auxilio, sine institutione ad animum suum adpulisse meminerit; aut qui quemquam fide dignum, qui de se talia jactet, norit. Si primi homines, sine extraordinario divinæ Providentiæ auxilio, has Ideas abstractas animo versarunt; experientiâ & ratiocinationibus eò devenire, ut ostendemus, potuerunt. Sin verò ejusmodi Ideæ à Deo extra ordinem eis suppeditatæ sunt, hoc ad alios homines, qui eodem jure non gaudent, nihil adtinet. Posteri verò tam facilè cùm institutioni Majorum, tum experientiæ ac meditationi suæ, quàm naturæ hæc debere possunt, quod ex sequentibus liquebit.

21. *Dei* Idea, ut in tertia Sectione videbimus, composita est ex omnibus omnium rerum proprietatibus, à quibus omnes defectus removemus; nec magis nobis quàm Ideæ *navis*, aut *domûs* naturâ insita est. Si ipsi meditatione nostrâ solâ eam formaremus; à posteriore ex consideratione demum Creaturarum, adhibitis variis axiomatibus, ad eam deveniremus; & cùm ab aliis nobis consideranda offertur, non priùs eam intelligimus, quàm partes quibus constat enumeratæ nobis sint.

22. Axiomata Metaphysica, quæ *æternæ veritatis* dicuntur, abstractionis ope, ex occasione objectorum existentium effingentur, ut ostendimus Logicæ Part. I. Cap. VI. & P. III. Cap. XI. Innumeri sunt homines aut idiotæ, aut barbari,

 qui

qui de hisce numquam cogitarunt; quòd Disciplinis, in quibus de Abstractis ejusmodi Ideis sermo est, numquam operam dederint, neque satis ingeniosi fuerint ut quidquam simile per se invenirent. Itaque ad hosce quod adtinet, decantatæ illæ Ideæ *innatæ*, perinde fuerunt, ac si nullæ essent.

23. Ideas Virtutis ac Vitii nequaquam innatas esse hinc liquet, quòd exemplis & institutione eas à Parentibus, Magistris, iisque quibuscum vivimus habeamus. Hinc fit ut apud cultiores Gentes sint magis perspicuæ, quàm apud barbaras; útque tanta sit in humano genere, circa Virtutes & Vitia, dissensio. Ad disciplinam quidem & exempla aliorum accedat nostra meditatio necesse est, nisi velimus sæpissimè falli; sed hoc ipsum indicium est nullas neque nobis, neque aliis, innatas de hisce esse Ideas.

24. Ex consideratione ipsa humanæ naturæ, quid unicuique verè utile, quid justum & injustum, in negotiis quæ nobis cum aliis intercedunt, quid Deo debeamus, quatenus rationis patent lumina, haud ægrè colligimus; quod fusiùs diducere loci hujus non est. Hoc unum addemus, nullum esse aliàs certum principium, quo natura *honesti* definiri, & ab *inhonesto* certò distingui queat.

25. Igitur inania sunt quæ de Ideis innatis à multis, quiquid sibi velint satis non intelligunt, docentur. Nec pluribus rem persequemur, quoniam ex dictis satis liquet, & qui plura volent eos adire poterunt * qui quæstionem hanc integris libris excutiendam susceperunt. Ostenderunt etiam viri acutissimi nullam esse Ideam, quæ ab adtentione in nosmet conversa & sensibus, per varias divisiones & copulationes, originem non ducat. Quod de multis passim in Logica, Metaphysica, & hoc Opusculo demonstravimus; & unusquisque eò magis agnoscet, quò acriùs meditabitur.

* Vide Opus Anglicum *Joan. Lockii* inscriptum *Tentamen de Intellectu*, Lib. I.

CAPUT VI.

De Discrimine Corporis & Mentis, eorúmque conjunctione.

1. MEntem vocamus eam *Substantiam, quæ in nobis cogitat*, & cui insunt facultates, quas Cap. IV. recensuimus; *Corpus* verò eam quam sentimus ei quæ cogitat adhærere, & quæ est *extensa*, *divisibilis*, *solida*, *mobilis & variis partibus variarum figurarum contexta.*

2. Quin facultates, quæ Spirituales dicuntur, *intellectus*; *voluntas*, *sentiendi facultas*, *libertas* &c. diversissimæ sint ab iis quæ vocantur corporeæ, quales fine Paragraphi primi memoravimus, nemo dubitarit; nec, si utrasque comparemus, ullam inter eas adfinitatem deprehendere possimus. Si intelligendi facultatem cum extensione, exempli causâ, conferamus, quid possit eis commune esse non capimus; quod idem, in ceterarum Mentis & Corporis proprietatum comparatione, deprehendimus.

3. Hinc fit ut ea, in quibus observamus tantùm extensionem, soliditatem, divisibilitatem, figuras varias, mobilitatem, ne cogitare quidem posse suspicemur. Quis globum, exempli causâ, ligneum, aut lapideun cogitare posse sibi in animum inducat? Negamus igitur mera corpora cogitare, quòd nullum in iis cogitationis indicium vel minimum cernamus.

4. Hoc posito, ubi in nobis varias cogitationes esse sentimus, eas tribui iis nostri partibus quæ extensæ, solidæ, & divisibiles sunt, non posse censemus. Cogitationum igitur subjectum esse substantiam, ab ea quæ subest proprietatibus corporeis diversam existimamus. Nam, quemadmodum in aliis omnibus rebus, non aliter essentiarum ignotarum genera & species distinguimus, quàm proprietatibus notis; ita hîc non alia de causa contendimus Mentem & Corpus habere essentias diversas, quàm quia cogitatio & extensio, & alia eorum adtributa nota planè diversa sunt.

5. Verùm duo observanda nobis sunt, hoc in negotio. Unum, quod jam alibi diximus, distributionem illam rerum in genera & species pertinere tantùm ad *essentias nominales*; hoc est, nihil aliud inde colligi posse, nisi ea quæ in variis rebus novimus, & quibus *nomen* rerum illarum imposuimus, esse diversa. Sed utrum (quod alterum hîc animadvertendum) subjecta, quibus insunt eæ proprietates, planè sint diversa nescimus; quia eorum subjectorum, in se spectatorum, nobis ignota est natura. Proinde etiam an ejusmodi proprietates unà esse queant,

queant, in uno eodémque subjecto, ignorare nos fateamur necesse est.

6. Hoc igitur unum, de distinctione Mentis & Corporis, certò dicere possumus: Nos in nobis deprehendere proprietates planè diversas, & collectioni quidem proprietatum, quæ nomine generali *cognitionis* continentur, vocabulum indidisse *Mentis*; collectionem verò proprietatum, quæ extensionem ac soliditatem aut involvunt, aut sequuntur, vocasse *Corpus*. Hæc sunt realiter distincta, sed utrum duæ substantiæ diversæ, an una eadémque proprietatibus illis subsit, nobit latet.

7. Qui adfirmant Mentem esse Corpoream, duplici ratione in rectam philosophandi methodum peccant. Primò falsum est id, quod vocatur *Mens*, seu *cogitandi facultatem*, eodem modo intelligi ac *Extensionem* & collectionem reliquorum adtributorum quæ Corpus dicitur, ut ex suprà dictis liquet. Secundò, sine ratione idem utriusque proprietatibus subjectum subesse adfirmant, cùm conjunctionis earum, in una eadémque substantia, notionem perspicuam non habeant.

8. Multi ex iis, quibus Mens & Corpus esse planè diversa videntur, ulteriùs æquo procedunt; cùm ex eo quòd ea quæ iis nominibus adfecerunt diversa sint, etiam ea quæ non norunt esse diversa; seu id subjectum, cui proprietates insunt, & quod humanæ cognitioni subductum est, esse diversum colligunt.

9. Quamvis autem ideæ proprietatum corporearum, & spiritualium adeò dissimiles sint, sentimus tamen eas in uno eodémque homine

ita esse connexas, ut mutatione in alterutris coortâ, in alteris etiam mutatio fiat. Ita quando est in nobis voluntas movendi brachii, aut pedis, & aliarum quarumdam partium; moventur, si sanæ sunt. Moto etiam vehementiùs corpore, nova in nobis oritur cogitatio. Si quis, exempli causâ, carnes in aliqua corporis parte vi divellere nitatur, oritur in nobis molesta doloris cogitatio. Atque hoc est, quod *Conjunctio Mentis & Corporis* dicitur.

10. Hîc gravis quæstio oritur, apud Philosophos, de re cujus τὸ ὅτι æquè notum nobis est, ac ignotum τὸ διότι. Quæritur quâ ratione fiat ut moto Corpore cogitet Mens, & vice versâ? seu ut res adeò diversæ, quales sunt proprietates iis nominibus insignitæ, reciproco veluti agantur æstu? Difficultas hinc etiam augetur, quòd Corpore adfecto, Mens facultatibus suis rectè uti nequeat. Quando longâ vigiliâ cerebrum exhaustum est, aut alia de causa, somno oppressum, frustra de ulla re adtentè cogitare nitimur; inviti fatiscamus oportet, donec somno refecti ad pristinam adtentionem redire queamus. Brachio etiam malè adfecto, frustra Mens motum imperat; si Paralyticum sit, aut resecti nervi, non magis voluntati obsequitur,

Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

11. Aristoteles dicit * à Mente moveri corpus ὀρέξει ἢ προαιρέσει, ἀλλοιωθέντος τινὸς κατὰ τὴν αἴσθησιν, ἢ τὴν φαντασίαν, *appetitu aut electione aliquâ re mutatâ in sensibus, ut in Phantasia.* Verùm hæc

* *De Animal. motione.* C. VI.

hæc est ipsa quæstio, qui fiat, ut προαίρεσις, seu *Mentis arbitrium*, motum corpori indat, cùm nihil hisce similitudinis intercedat. Idem ait * Mentem esse ἐντελέχειαν τὴν πρώτην σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἔχοντος δυνάμει: hoc est, ut vertere solent: *Actum primum corporis physici potentiâ vitam habentis.* Sed hæc sunt meræ tenebræ, quibus vir sapiens speciem eruditionis captabat; nec veritatem investigantibus satisfacere, aut nodo proposito solvendo inservire ullo modo possunt.

12. Accuratiores ergo Philosophi hîc confugiendum sibi ad voluntatem ejus, qui hominem creavit, censuerunt. Ejus solâ voluntate fieri aiunt, ut substantiæ naturâ diversæ ita se invicem adficiant, ut sit veluti reciprocatio motuum & cogitationum. Corpus, secundùm eos, nullo modo in Mentem per se agere potest, neque Mens in Corpus; sed præsto est Deus, cujus voluntate moto Corpore cogitatio injiciatur Menti, & Mente cogitante moveatur Corpus. Alioquin ullum esse inter motum & cogitationem connexum, præter merè arbitrarium, qui à Deo institutus est, negant. Quomodo Mens, inquiunt, ipsa moveret brachium, quæ nescit qui sint contrahendi, qui extendendi musculi; denique, quibus machinamentis imperium suum exsequutioni mandetur?

13. Hinc colligunt Mentis imperia, quibus conceptis corpus movetur, non esse causas propriè dictas, quæ vi suâ & per se Corpus moveant; sed occasiones, quibus positis, Deus ipse vi suâ omnipotente Corpus movet. Ita Dei voluntatem, quasi

* *De Anima.* Lib. II. c. I.

quasi Mentis & Corporis vinculum, constituunt.

14. Hæc quidem clariora sunt Aristotelicorum responsis, nam licèt non intelligamus quâ ratione à Deo moveantur Corpora, ei tamen vim eorum movendorum inesse constat. Verùm ad Deum viri acutissimi, potiùs conjecturâ, quàm evidentibus coacti rationibus, confugiunt: Quia non intelligunt quî res aliter fieri queat, rem ita se habere contendunt. Cui ratiocinationi in iis rebus locus est, quas penitus novimus; non in iis, quarum intimam naturam nobis ignotam esse scimus. Quando duos numeros clarè cognitos habemus, facile est scitu quæ summa, iis additis, exsurgat, & quæ inde confici nequeat; sed ubi alteruter planè ignotus est, quis, nisi temerarius, quæ summa iis confici nequeat definire ausit? Similiter ii, quibus cum Mentis tum Corporis ignota est natura, sine temeritate, quâ ratione alterutrum ab altero adfici possit, aut non possit, nequeunt definire.

15. Non desunt, qui putent inter Mentem intellectualem & merum Corpus mechanicum intercedere tertiam substantiam, cum qua proximè conjuncta est Mens. Eam substantiam præficiunt administrationi OEconomiæ animalis, cujus Mens nostra minimè conscia est; ita ut Menti in movendo Corpore pareat, ceteráque curet quæ ad incolumitatem animalis pertinent. Ea substantia facultate ratiocinandi non magis, ex eorum sententia, prædita est, quàm Animæ Brutorum; sed tota in administrationem Corporis defixa, aliud præterea nihil agit, aut adtendit. Ipsa

Ipsa per se in Corpus agit, cum quo tamen quænam ei possit esse adfinitas nemo dixerit: ut nemo etiam demonstrarit non esse inter merum Corpus & Mentem medias quasdam substantias, quales esse possint Animæ Brutorum. Itaque ex hac sententia, homo constaret tribus substantiis, Mente, Anima quæ præest OEconomiæ Animali, & Corpore. Quæ sententia nec absurda est, nec omni difficultate caret.

16. Nihil hîc tutius animo occurrit, candidâ ignorantiæ nostræ professione. Certissimè novimus esse aliquem inter cogitationes nostras, & motus membrorum nostrorum nexum; quoniam hæc se invicem excitant, & sibi invicem succedunt. Verùm quâ ratione motus in membris excitatus cogitationem in Mente procreet, & vice versâ; hoc demum est, quod penitus ignoramus. Igitur possumus quidem conjunctionem in nobis esse inter cogitationes & motus contendere, ita ut sit quædam inter ea reciprocatio; sed quomodo hæc fiant, prorsus nos fugit.

17. Si quæsiverit quispiam, cui ergo usui sit hac de re philosophari, cùm postquàm eam animo diu versavimus, vulgo doctiores non evadamus? Responsum hoc accipiet. Primùm ab iis, qui hæc seriò expenderunt, multùm superari vulgus: Etenim ea quæ hîc cognosci possunt, multò clariùs & distinctiùs norunt, quàm ii qui numquam huic speculationi operam dederunt. Præterea certâ humanæ ignorantiæ cognitione; quâ fit ut norint accuratè qui sint ignorantiæ, qui cognitionis limites, animum veluti munitum habent adversùs eorum, qui se doctos falsò jactitant, fraudes; quibus vulgus facillimè capitur, quòd sæpè

pè ea sciri quæ extra humanæ cognitionis limites sita sint, existimet.

§. 17. *Præterea* &c.] Eleganter hanc in rem *Augustinus* de C. D. Lib. XII. cap. 7. *Nemo ex me scire quærat, quod me nescire scio; nisi fortè ut nescire discat, quod sciri non posse sciendum est.*

18. Secundò, qui sciunt secernere ignota à notis, ea in re ipsis illis, qui eruditi habentur, multò sæpe superiores sunt, & ad veritates ignotas investigandas aptiores. Numerus est ingens eorum qui se scire putant quod nesciunt, præsertim inter Eruditos; quibus sapientior sine dubio is est, qui novit se ea nescire quæ nescit, nec inani δοκησισοφίᾳ tumet. Qui se doctiores æquo putant, ii ubi aliquid investigant, priùs id se reperisse censent, quàm repererunt, ac figmenta sua cum veritate confundunt. At qui hæc diligenter secernere adsueti, non erubescunt fateri sibi esse ignotum quod re verâ ignotum est; nullâ re incompertâ in progressu investigationis admissâ, tutiùs ad verum perveniunt; aut saltem quare eò perveniri nequeat deprehendunt, nec se ampliùs inani labore fatigant.

§. 18. *Qui se doctiores* &c.] *Bion*, apud *Laërtium*, ait τὴν οἴησιν προκοπῆς ἐγκοπὴν, *opinionem profectûs impedimentum*; *Plato* in Sophista: μαθεῖν οὐδέποτ' ἂν ἐθέλειν τὸν οἰόμενον σοφὸν εἶναι: *nihil addiscere velle eum, qui jam sapere se opinatur.* Seneca de Tranquill. Cap. 1. *Multi ad sapientiam potuerunt pervenire, nisi se putassent jam pervenisse.*

19. Hæc paucis, licèt extra rem sint, hîc observanda duximus, ne ἐποχὴ & ignorantiæ professio, quæ passim hoc in Opusculo occurrunt, legentium animos offendant, quasi hîc tantùm dubitationum nostrarum Catalogum scriberemus.

CA-

CAPUT VII.

An cogitationum nostrarum subjecto insint facultates Vegetativa, Nutritiva, & Locomotiva?

1. SCholastici solent Animis hominum tribuere quatuor facultates, quæ ad Corpus referuntur, *Sensitivam*, *Nutritivam*, *Vegetativam*, & *Locomotivam.* Dubium nobis esse nequit quin sensitiva facultas insit ei Naturæ, quæ in nobis cogitat; nam ejus rei nobis conscii sumus, & sensatio est genus cogitationis, ut ex iis quæ hactenus diximus satis apparet. Igitur reliquæ expendendæ supersunt.

2. *Vegetativa* facultas ea dicitur, quâ Plantæ & Animalia vegetantur. Ante omnia sciendum est quid sit *vegetari*, aut quid eâ voce intelligatur. Planta vocatur *vegeta*, quæ neque sicca, neque marcida, neque fracta ex aliqua parte est; sed in eo statu manet, quo solet esse, ubi succus ei non deest quo alatur. *Vegetum* dicitur animal, quod sanum & incolume est, ut esse solet quando & succo abundat, nec ulla est in ejus organis perturbatio.

3. Si ergo sit in Plantis & Animalibus vegetativa facultas, erit facultas; quæ organa eorum sarta tecta conservabit, succúmque in ea inducet. Ut autem sciamus an sit ejusmodi in Mente nostra facultas, quæ corpus nostrum tueatur, ejúsque alimenta administret; videndum primùm an ejus nobis simus conscii, quod nemo

nemo comperiet. Supereſt igitur ut ſecundo loco rationibus hoc probetur, quæ nullæ alicujus momenti adferuntur.

4. Ajunt quidem Scholaſtici, quemadmodum ejuſmodi facultas Animalibus & Plantis ineſt, ut apparet ex eorum vegetatione: ita oportere ſimilem eſſe in nobis, quoniam non minùs ac reliqua Animalia vegeti ſumus. Sed ab iis quærendum quid, hoc in loco, voce *Facultas* intelligant, an Ens à diſpoſitione organorum Plantarum & Animalium diverſum, an verò ipſam illam organicam diſpoſitionem?

5. Si intelligant Ens diverſum, oportet primò dicant ſítne Subſtantia, an Accidens? Dicent fortè eſſe *formam ſubſtantialem*, aut accidens ei formæ inhærens; at ſuum hoc reſponſum debebunt argumentis evidentibus fulcire; quod non facient, niſi oſtendant nullam eſſe aliam rationem quâ Plantæ & Animalia vegetari queant. Hoc autem numquam oſtendent, quia neque ipſis, neque ulli alii ita perſpecta eſt Plantarum Animaliúmque intima natura; ut omnia quæ in ea ſunt, & quorum eſt capax, norint, útque certo modo ea vegetari, nec ullo alio poſſe, adfirmare queant.

6. Deinde neceſſe eſſet oſtenderent quid intelligant voce *formæ ſubſtantialis*, nam quando dicunt eſſe ſubſtantiam, quæ materiæ accedens eam *actuat*, & facit *ut res ſit id quod eſt*; id & obſcuriſſimum eſt, & eò tandem redit, ut cogantur fateri formam illam ſuam ſubſtantialem eſſe neſcio quam *ſubſtantiam ignotam*, ad quam confugiunt, quia aliter ſe expedire nequeunt. Sed præſtaret ignorantiam ſuam fateri diſertis verbis, quàm

quàm Lectori obſcuris vocibus, & quarum ſenſus nullus eſt, illudere.

7. Verùm ponamus cum illis eſſe in Plantis & Animalibus neſcio quid, præter diſpoſitionem organicam, quod ea vegetat; non ſequitur tamen eſſe in Mente Humana *Facultatem Vegetativam*, quidni enim à Mente diſtincta eſſet? An non poſſet eſſe tertia ſubſtantia, de qua diximus Capite ſuperiore §. 15? Nulla ſanè ratio eſt, quæ contrarium ſuadeat; ideóque hanc Hypotheſin æquè facilè rejicimus, ac admiſſa eſt.

8. Iidem Philoſophi Scholaſtici Menti tribuunt *Facultatem nutritivam*, de qua eadem occurrunt dicenda, quæ de Vegetativa modò diximus. 1. Nullius facultatis nutritivæ Mens ſibi conſcia eſt, neque enim novimus quomodo corpus noſtrum nutriatur, internâ conſcientiâ, ſed tantùm ex humani corporis diſſectione, atque ex conjectura. 2. Rationes nullæ ab iis adferuntur, quibus probent non eſſe aliam Subſtantiam in Animalibus, quâ alimenta per totum corpus deferantur; neque enim oſtendunt Scholaſtici hoc nullo alio poſſe fieri modo, præter eum quem proponunt.

9. Ex hiſce jam liquet quod de Nutritiva facultate dicunt, id eſſe Hypotheſin, ad quam non re ipſâ deducti confugerunt; ſed quam, ut viderentur vulgo doctiores, vocibus obſcuris veſtitam, invenerunt. Hoc, niſi ſatis ex dictis perſpicuum eſſet, poſſet ex hiſce verbis Ariſtotelis cognoſci. * Quæ hodie Mentis facultates vocantur ille vocat *μόρια partes*, & poſtquàm dixit τὸ λογιϛικὸν, τὸ θυμικὸν & τὸ ἐπιθυμητι-

* *Magn. Moral. Lib. I. c. 4.*

μητικὸν, *rationalem*, *iraſcibilem*, & *concupiſcibilem* partem ad nutritionem nihil facere, eámque ad θρεπτικὸν μόριον retulit; ait partem nutritivam *videri ſimilem ignis, qui abſumit quidquid objeceris, ſed ad capiendum nullo impetu fertur: ita ſi objicias alimentum nutritivæ parti animæ, alit, ſin minùs, nullo impetu ad alendum fertur.* Summus Philoſophus quæcumque in mentem veniebant dicebat, & obſcuriſſimis ideis adſuetus, ſibi pulcrè ratiocinari videbatur, modò ne ad ſilentium adigeretur.

10. Ad Facultatem *locomotivam* quod adtinet, quæcumque de ea dicere poſſumus jam ſunt Capite antecedenti prælibata; etenim facultas illa locomotiva non differt à vi, quæ ineſſe Menti dicitur, movendi Corporis cui conjuncta eſt; ſiquidem quidquid Mens loco movet id, interventu membrorum, ſitu priſtino depellit.

11. Itaque eædem occurrunt hîc difficultates, quas antea memoravimus. Ariſtotelici nihil hîc opis afferunt, quia ne quæſtionem quidem ipſam ſatis intelligere videntur. Recentiores quidem multi omnem movendorum corporum facultatem Menti detrahunt, ut Deo ſoli tribuant; verùm, uti jam monuimus, eò tantùm deveniunt, quòd ignorent quî fieri queat ut à Mente Corpus moveatur. Ignorantia autem noſtra, in re alioqui nobis non planè perſpecta, qualis eſt natura Mentis, inſtar fundamenti, cui firmum aliquid inædificemus, eſſe non poteſt. Alii Animam, inter Mentem & Corpus mediam, huic negotio præficiunt.

12. Nos hîc ad ἐποχὴν, tamquam ad ſacram anchoram, confugimus, & quemadmodum certò nobis conſtat Mente volente moveri Corpus noſtrum, quod admotum iis, quæ minorem vim ad reſiſtendum habent, ea quò volumus transfert: ita incertum nobis eſſe fatemur an id ſubjectum, cui inſunt cogitationes noſtræ, quodcumque tandem ſit, ſit propriè dicta cauſa motûs membrorum noſtrorum, an tantùm occaſio, quâ poſitâ, ab alia cauſa membra noſtra, pro Mentis imperiis, moveantur.

CAPUT VIII.

De Origine Mentis.

1. EX quo philoſophari cœptum eſt, variæ de Mentis origine fuere ſententiæ, quæ tamen ad tres præcipuas referri queunt. Qui Mentem corpoream ſtatuunt, eam à parentibus, unà cum Corpore, generari aiunt. Alii initio Mundi à Deo creatam, ſine Corpore; quo in ſtatu cùm in Deum peccaſſet, dejectam in Corpus, quaſi in ergaſtulum, ut pœnas daret, fuiſſe. Alii denique, inter quos plerique fuerunt Scholaſtici, eam à Deo creari & Corpori, cùm formatum eſt, immitti. Cùm hæc omnia ſint incertiſſima, & deſtituamur etiam ſubſidiis ad verum inveniendum neceſſariis; attamen trium harum ſententiarum Principes, eas quaſi indubitatas in medium proferunt, qua in re cùm ſuperbia, tum cæcitas ingenii humani ſtupenda eſt.

2. I. Qui Mentes corporeas, eásque instar Corporis ex traduce propagari contendunt, ii primò, quod sibi non constat dicunt, cùm corpoream substantiam Menti tribuunt; nullum enim necessarium connexum inter cogitationes, & corpus, nullam adfinitatem deprehendimus, quod suprà jam observatum. Secundò, nulla est ratio plausibilior, quâ suam de propagatione Mentis sententiam fulciant hac; scilicet, propagari omnia genera Animalium & Plantarum, proprietatésque adeò omnes generis à progenitoribus, aut seminibus, ad ea quæ inde nascuntur transire; unde colligere oporteat, quidquid pertinet ad humanam speciem, adeóque Mentem, id etiam à parentibus ad liberos defluere. At hæc ratiocinatio ultra verisimilitudinem, eámque levem, non progreditur. Etenim unde illis constat in humano genere hoc non esse singulare, quòd totus homo ex traduce non derivetur, cùm sint in homine tot alia singularia? Quare necesse est omnia genera eodem modo propagari?

3. II. Qui Mentes initio mundi creatas aiunt, unde hoc acceperunt? Neque enim ejus rei recordamur, neque Plato, aut Pythagoras, aut Chaldæi, quorum hæc fuit sententia, ex revelatione divinâ eam habuerunt. Solent quidem dicere se hoc quoque ratiocinatione collegisse, non ex Antecessorum modò doctrina accepisse. Verùm hoc est eorum præcipuum argumentum, idémque infirmissimum; nempe, quî Deus innocuas Mentes in Corpora mitteret, ubi tot malis sunt obnoxiæ, illæsâ justitiâ suâ, intelligi non posse. Sed quid contra justitiam divinam est, si Mentem omnium rerum ignaram, eo momento quo creatur (posito eam creari) immitti dicamus in Corpus, quo tamquam organo, ad discenda plurima, utatur, atque in primis summæ beatitudinis viam; ad quam beatitudinem, si per incommoda quædam perveniat, éstne quod queratur? Quid est ea in re iniqui, si Deus felicitatem, quam non debet, velit aliquâ molestiâ, eáque brevi tempore exantlanda, veluti emi.

4. III. Tertiæ sententiæ fautores Scholastici unde acceperunt Mentem à Deo creari? Unde sciunt eam eo momento, quo Corpus est formatum, non priùs neque posteriùs, demitti? An possunt indicare quo tempore formatum sit Corpus? Quidam sanè quadragesimo die animum in hoc immitti statuunt, quòd sit, ut ajunt, eo tempore formatum. Sed cùm id æquè dubium sit, quid demum hoc est; nisi hariolationem hariolatione defendere? At, inquiunt, quandoquidem Corpus est veluti domus Mentis, par esse videtur, ut antequàm hospes excipiatur, hospitium absolutum sit. Alii reponent hoc non obstare quominùs Mens in imperfecto Corpore aliquamdiu sit; posse fieri etiam ut Mens non addatur Corpori comes, nisi postquàm in auras æthereas editum est, cui enim antehac esset usui? item ut Corpus natum sit aliquamdiu instar plantæ, aut meræ machinæ, cui deinde addatur Mens, veluti custos; quando necesse est, societatis causâ, ut officiis incipiat fungi, supra naturam plantæ aut machinæ positis. Denique eæ Scholasticorum, ut ita dicam, *possibilitates* innumeris aliis oppugnabun-

buntur *possibilitatibus* æquè verisimilibus, & æquè fide dignis.

5. Nobis hîc, quid Veritatis perspicuæ Sectatores magis deceat, confessione ignorantiæ, nihil occurrit. Néve hujus confessionis aliquem pudeat, à nemine posse hîc veritatem certò cognosci, ostendemus.

6. Tres tantùm sunt viæ, quibus posset ad originis Mentium cognitionem iri, quæ omnes sunt nobis obseptæ. Prima est naturæ Mentis plenior cognitio, ex qua fortè ejus originem intelligere possemus; sed, quâ nobis deficiente, eâ viâ progredi non possumus. Altera via est recordatio ipsius Mentis, quæ memor suæ originis, à quo tempore fuerit scire posset; verùm ejus rei memoria nulla est. Tertia, revelatio Naturæ intelligentis, ac fide dignæ, à qua quod nescimus, edoceremur; quo auxilio caremus, neque enim Deus, aut inferior aliqua alia Natura, quidquam quod sciamus, hac de re clarè aperuit, aut cognoscendum ex consectariis præbuit. Nam argumenta, quæ ex æquitate & justitia Dei ducuntur, dubia esse vidimus.

7. Hoc in loco, ita se gesserunt Philosophi, ut sæpe aliàs solent. Cùm cupiditate veri cognoscendi flagrarent, & in omnes partes animum versarent; ut pro se quisque veritatem, si quà se offerret, vel fugientem raperet; *possibilitates* pro veritate amplexi sunt, ne viderentur frustra laborasse, útque animo veri avido aliquâ saltem veri specie satisfacerent. Deinde tempore, inter Sectatores eorum, qui primi eas sententias defenderant, auctoritatem tantam eæ nactæ sunt, ut *possibili* idem deferretur honos, quem

quem soli compertæ Veritati tribuere jus, fásque est, hoc est, non dubius adsensus, qui uni evidentiæ debetur.

CAPUT IX.

De Mentis Immortalitate.

1. DUo sunt ex quibus maximi momenti quæstio, de Immortalitate Mentis, solvi queat. Primum est ipsa natura Mentis, quæ si nobis perspecta foret, fortè mortalitatis, aut immortalitatis manifesta præ se ferret indicia. Alterum voluntas Dei, quâ fit, aut fieri potest ut Ens naturâ suâ mortale in æternum tamen duret. Alterutro horum principiorum, pro sententia quam circa naturam Mentis amplexi erant, usi sunt Philosophi Christiani.

2. Horum sententias proferemus, statim ac dixerimus, 1. nos *Mentis* voce hîc intelligere *id quod in nobis cogitat*, quidquid sit: 2. *Mortem* hîc non quamvis mutationem, sed aut *adnihilationem*, aut eam mutationem quæ facultates omnes alicujus rei destruat, dici. 3. Mentem igitur dicendam *immortalem*, si neque *adnihilari*, neque umquam ita mutari statuatur, ut facultates, quas in ea deprehendimus, amittat.

3. Hoc posito quæstionis statu, sunt, ut alibi diximus, qui existiment Mentem esse substantiam prorsus à Corpore diversam, quæ naturâ suâ perpetuò cogitet, nec cogitatione destitui possit ab ulla Creatura; sed tantùm à Deo, qui eam posset in nihilum redigere, ut reliquas omnes substantias. Hæc si vera est sen-

ſententia, quod illi contendunt, ex eo quod partes corporis diſſipantur, diſſipari Mentem quæ partibus caret; aut facultatibus ſuis ſpoliari, vel in nihilum redigi, non ſequitur; ſi enim Mens ſit naturæ planè à Corpore alienæ, mutatio quæ Corpori evenit, ad eam neceſſariò non pertingit.

4. Si incertam eam eſſe ſententiam quis colligat, ex iis quæ ſuprà de ignorantia noſtra circa naturam Mentis, demonſtravimus, adeóque dubia eſſe dicat, quæ inde tantùm deducuntur, conſectaria, non equidem negabimus; ſed certè hoc nobis concedi oportebit, non poſſe evidenter demonſtrari, diſſipato Corpore, Mentem quoque diſſolvi, quoniam poteſt fieri ut ſint diverſæ planè naturæ. Igitur ſi Mentis immortalitas, inde deducta, dubia eſt; non minùs mortalitas Mentis, ex contrariis principiis collecta, incerta erit; unde ſummùm hîc oportere ἐπέχειν, quoniam utrimque obſcuræ ſunt rationes, conſequens eſſet.

5. Alii * ex Chriſtianis, qui immortalitatem Mentis non minùs acriter tuentur, exiſtimant tamen eſſe corpoream, nec negant, naturâ ejus abſolutè conſideratâ, poſſe diſſolvi; ſed divinâ voluntate, eâque immutabili, fieri ajunt ut re ipſâ numquam diſſolvatur, etiamſi Corpus quod ſub oculos cadit putrefit.

6. Regeri quidem poteſt, ut ſatis ſuprà demonſtravimus, hanc de natura Mentis ſententiam eſſe incertam: at evidenter, uti nec prior opinio, confutari nequit. Poſſet etiam dici ab Epicureis aut aliis Mentis mortalitatis propugnatoribus,

* *Tertullianus*, & alii plurimi Patres. Vide *Dionyſ. Petavium*, Dogm. Theol. T. III. Lib. I. c. 5.

ribus, dubium eſſe an Deus velit Mentes eſſe æternas, qua de re poſtea agemus; ſed interea fateantur oportet, ſe negare quod an verum ſit neſciunt; quis enim rationibus philoſophicis, probari poſſe Deum finem durationi Mentium præſtituiſſe dicere auſit? Certè plerique qui negant immortalitatem Mentis, Dei ipſius exſiſtentiam, aut diſertè, aut per conſequentiam negant; quam, in tertia Sectione, demonſtrabimus.

7. Hinc primùm colligere meritò poſſumus, qui negant Mentem eſſe immortalem, eos quamcumque circa Mentis naturam opinionem ſequantur, temerarios eſſe; quoniam ſeu corporea, ſeu incorporea ſit, mortalitas ejus probari nequit, neque ex diſſolutione Corporis colligi.

8. Deinde quoniam, ex ipſa natura Mentis ignota, nihil ſatis certum poteſt elici, aliò nos ad cognoſcendam Mentium, poſt diſſolutionem Corporis, ſortem, confugere oportere. Theologi divinam revelationem meritò hanc in rem proferunt; ſed quia hîc ſolâ Ratione nitimur, videndum an ex iis, quæ nos recta docet Ratio, poſſimus certa quæpiam, de immortalitate Mentis, deducere conſectaria.

Quædam ſunt hîc nobis ſumenda, ne in iis probandis & inſtitutâ brevitate & hujus diſciplinæ limitibus excedamus. * Unum eſt, humani generis eſſe initium, quod ex Hiſtoriis omnium Gentium, novitate Artium, aliiſque certiſſimis indiciis conſtat. Alterum eſt, Cauſam humanâ naturâ præſtantiorem ei ortum dediſſe, nam nihil poteſt per ſe è nihilo emergere.

 Ter-

* *Vide Logicam* Part. III. cap. I. §. 9.

Tertium eſt, Cauſam illam, quam *Deum* vocamus, nos hiſce in terris poſuiſſe, non animo nobis nocendi, ſed contrà benefaciendi; quod nobis conſtat ex omnis generis bonis, quibus nos circumdedit; quales ſunt tot præſtantiſſimi omniúmque generum terræ proventus, quibus utimur, ſumma cum voluptate. Qua in re, non prætermittendum eſt, ita nos à Deo eſſe conſtitutos, ut ne ipſis quidem infirmitatibus naturæ ſatisfaciamus, quin maximam experiamur voluptatem: ut quando poſt famem & ſitim, edimus & bibimus, &c. Quartum eſt, eam eſſe humani generis conſtitutionem, ut ſine extremis malis homines mutuis officiis carere nequeant. Quis enim omnia ſolus in deſerto, ſine ulla ope humana, ſibi ſubſidia ad vitam commodè degendam neceſſaria parare poſſet?

10. Negari certè nobis, ſine ſumma iniquitate, ſuperiora poſtulata nequeunt; nunc fingamus omnia humanitatis officia ſibi invicem homines omnes exhibere; ita ut totum humanum genus inter ſe agitaret eo modo quo cognati, iique amiciſſimi, vivere ſolent. Nihil videretur poſtea hominibus exoptandum relictum, niſi ut morbis omnibus carerent, útque ea vita æternùm duraret; aut ſi eſſet amittenda, ejus jactura fieret, ut aliam non deteriorem in æternum conſequeremur. Imò ſi cupiditatem humanæ naturæ inſitam excutiamus, comperiemus nos neceſſariò cupere beatitudinem cui nihil prorſus deſit; ita ut nihil ampliùs optari queat, neque quidquam in poſterum timeri. Hæc ſumma eſt votorum noſtrorum, ad quam

quam tanto impetu ferimur, ut nihil, præter beatitudinem ejuſmodi, ægri animi deſideriis ſatisfacere poſſit.

11. Hinc ſequitur tot bona, quæ à benefico Numine accepimus, omnia inania, niſi perpetuâ felicitate fruamur, futura. Nam quamvis omnibus bonis, quæ hîc in vita hacce mortali comparari poſſunt, frueremur; tandem iis carendum eſſet, & moriendum in ſumma triſtitia, propter æternam jucundiſſimarum rerum jacturam. Tunc temporis bona omnia, quibus antea fruebamur, veluti in venena verſa, nos acerbiſſimè cruciarent. Eodem loco eſſemus ac qui, ſine morbo ullo, valente ſtomacho & cibum appetente, recordaretur quidem ſe omnis generis cibis olim abundaſſe; ſed ſibi ſtatim fame pereundum eſſe ſciret. Memoria illa præteritarum copiarum eum vehementiſſimè cruciaret, nedum ut ejus dolorem leniret.

§. 11. *Hinc ſequitur* &c. Cicero de Finibus, Lib. II. n. 86n aliud agens: *Si amitti*, inquit, *vita beata poteſt, beata eſſe non poteſt. Quis enim confidit ſemper ſibi illud ſtabile & firmum permanſurum, quod fragile & caducum ſit? Qui autem diffidet perpetuitati bonorum ſuorum, timeat neceſſe eſt, ne aliquando amiſſis iſtis, ſit miſer. Beatus eſſe in maximarum rerum timore nemo poteſt.* Tuſcul. Quæſt. Lib. I. n. 118. *Non temerè*, inquit, *nec fortuito ſati & creati ſumus, ſed profectò fuit quædam vis, quæ generi conſuleret humano; nec id gigneret aut aleret, quod cùm exantlaviſſet omnes labores, tum incideret in mortis malum ſempiternum; portum potiùs paratum nobis & perfugium putemus.*

12. Igitur ſi eſſet, ſine ſpe beatitudinis, poſt hanc vitam futuræ, moriendum; jam beneficum illud Numen non immeritò in nos contuliſſe videretur bona hujus vitæ, non benefacien-

 di

di causâ, sed potiùs irritandæ nostræ cupiditatis, cui tamen nullâ ratione satisfactum vellet; hoc est, animo nos acerbissimo supplicio interficiendi. Cùm ita constituti simus, ut omnibus numeris absolutam beatitudinem necessariò optemus, Deus ostensâ nobis aliquantâ ejus parte, ut eam magis optaremus, subitò omnem ejus spem subtraheret, ut in summa desperatione vitam relinqueremus. Nobiscum ageret eodem modo, ac qui homini fame vehemente laboranti cibum olfaciendum offerret, ut videret miserum

Longo die, bis terve mutatæ dapis
Inemori spectaculo.

13. Hoc quid fieri crudelius possit, me non capere fateor. Igitur aut eam, à qua tot & tanta beneficia in nos sunt collata, esse omnium Naturarum crudelissimam; aut nobis negari ab ea beatitudinem, quia dari non potest, dicendum esset.

14. Prius absurdum est & iniquum, quoniam eum qui nobis certa bonitatis dedit indicia suspectum habere crudelitatis, sine causa, absurdum simul ac iniquum est. Sine causa autem à Deo nobis beatitudinem datum non iri, priusquàm certò nobis constaret hanc ab eo exspectari non debere, suspicaremur. Quomodo rursus certò nobis constare potest, Deo non esse voluntatem nobis tribuendæ beatitudinis? Certè nos ab eo innumeris beneficiis fuisse ornatos videmus; unde eum porrò in nos beneficum futurum, nisi ipsi fortè obstemus nostris vitiis, potiùs est colligendum.

15. Æquè absurdum est dicere Deum non posse nobis beatitudinem dare, nam qui potuit efficere ut esse inciperemus, annon poterit facere ut aut pars nostri post mortem æterna sit, aut ut totus etiam homo denuò vivat, quamvis Corpus ejus dissipatum olim fuerit? Posterius certè non est priori difficilius.

16. Inde ergo colligimus Deum & velle & posse nos æternâ donare beatitudine, quod fieri nequit, nisi saltem ea pars nostri quæ intelligit, vult, ac sentit, æternùm vivat, adeóque nisi Mens nostra immortalis sit. Si ergo constat Deum & posse & velle nos æternâ donare felicitate, eo ipso Mentes nostras immortales esse liquet.

17. Hæc nostra ratiocinatio statuit Deum bonitati suæ convenienter non acturum, si nullam hominibus beatitudinem æternam præberet, quamvis alioquin hujus vitæ bonis omnes fruerentur, quatenus homini iis frui licet; at multò majoris erit ponderis, si, quod res est, animadvertamus, neminem iis omnibus frui non tantùm propter corporis infirmitatem, aliósque inevitabiles casus, sed potissimùm propter violationem ejus Legis, quam natura ipsa ac constitutio hominis nos docet. Diximus homines hîc in terris à Deo collocatos, ut se invicem adjuvarent, quoniam quò minus auxilium sibi invicem præbent, eò miseriores; quò amplius, eò feliciores evadunt. Hoc cùm sit manifestum, homines tamen adfectibus occæcati sibi invicem, quàm maximè possunt, nocent, quâ re infelicissima hæc vita facta est. Atque inter ceteros infelices sunt ut plurimum, qui maximè omnium Legem illam ob-

ſervant; quâ fit ut qui divinæ voluntati omnium maximè convenienter vivunt, ii demum ſint mortalium ſæpe infeliciſſimi.

18. Hoc poſito, quærendum an ex iis, quæ de Deo novimus, poſſimus conjicere Deum eorum, qui legem ab ipſo naturæ humanæ inditam obſervant, ideóque infelicem vitam ducunt, nullam rationem habiturum. Certè qui ortum Hominibus dedit, non ut iis malefaceret; eóſque ita conſtitutos eſſe voluit, ut mutuo auxilio indigerent; idem ſe adjuvent invicem, ſine dubio, vult; adeóque eorum vitam, qui id faciunt ad quod ſunt naturâ ſuâ comparati, probat. Si eorum probat mores, an eos à Deo neque miſeriis hujus vitæ eximi, neque poſt hanc vitam quidquam accipere mercedis credibile eſt? Niſi præmio quopiam vitæ hujus incommoda probis penſaret, ſibi ipſe, ut ita dicam, contradiceret; qui vellet homines ſe mutuò adjuvare, & tamen eos, qui maximè huic ejus obtemperarent voluntati, omnium peſſimè haberi pateretur.

19. Igitur ex miſeriis, quæ à probis, hoc eſt, iis qui maximè humanam Societatem colunt, hac in vita feruntur ſæpiſſimè, certiùs colligimus Mentes eſſe immortales; quoniam eorum nullam alioqui Deus rationem haberet, quod abſurdum eſſe vidimus.

20. Ita, ſolâ Ratione duce, eò uſque pervenimus, ut abſurda nobis videatur eorum ſententia, qui crediderunt hominem, cùm moritur, æternùm interire. Accedente deinde Revelatione, firmiſſimis nixa argumentis, res extra omnem dubitationis aleam ponitur; præſertim apud

apud eos, qui non optant nullam eſſe probis mercedem poſt hanc vitam, ne ſibi delictorum ſuorum ſint timendæ pœnæ. Verùm argumenta ex Revelatione petita, ne in alienam meſſem falcem injiciamus, hìc non adtingemus.

21. Sunt quibus hæc noſtra ratiocinatio diſplicuerit, quod adfirmare non audeamus Mentem eſſe naturâ ſuâ immortalem; ſed 1. ſi quod neſcimus id non adfirmemus, an poſſumus vituperari? 2. Rem ipſi probent, & libenter in eorum caſtra tranſibimus. Quod ſi adfirment non quod verum eſſe ſciunt, ſed quod volunt videri verum, nos eo fuco uti nolle profitemur. Deinde neſciunt quid ſibi velint, cùm ipſi diſertiſſimè adfirment nihil naturâ ſuâ eſſe immortale, præter Deum; dum dicunt reliqua omnia, vi ejus ſolius conſervationis, quam *Creationem perpetuam* eſſe volunt, durare; quod ſi ita eſt, Mens voluntate divinâ, non naturâ ſuâ, eſt immortalis.

Primæ Sectionis Finis.

PNEUMATOLOGIÆ

SECTIO SECUNDA.

DE SPIRITIBUS PURIS.

CAPUT I.

An sint Spiritus Puri, aut saltem crassiore corpore exuti?

1. VIx ulla Philosophiæ pars est, cujus argumentum abstrusius sit, atque ab humana cognitione remotius, iis de quibus hac Secundâ Pneumatologiæ parte acturi sumus. Vix tamen ulla est, de qua veteres Philosophi, *Pythagorici* potissimùm & *Platonici*, & qui eos inter Christianos veteres & recentiores sequuti sunt, plura & subtiliora in medium adtulerint. Ingenium, scilicet, humanum rebus inusitatis gaudet; & se in iis maximè interdum jactat, quæ minimè omnium novit. Nos quidem eorum præcipua dogmata paucis, ut historia opinionum Philosophorum aliquatenus innotescat tironibus, explicabimus. Sed simul plerumque summam incertitudinem eorum omnium, quæ hac de re dicuntur, ostendemus.

2. *Spiritus puros* vocant eos, quos putant aut omni corpore destitutos, aut certè tenuioribus mul-

multò, quàm nostra sunt, indutos esse. Etenim in duas sententias abiere Philosophi, circa hosce Spiritus. *Chaldæi* Veteres, & Platonici ac Pythagorici, qui omnia dicuntur Chaldæis debere, videntur omnibus Spiritibus, excepto *Deo Deorum*, ut loquuntur, corpus tribuisse, sed tenuius multò quàm nostrum est; quod Scriptores Christiani Veteres plerique sequuti sunt, & Scholasticorum nonnulli. At alii, inter quos *R. Cartesius* ejúsque discipuli eminent, eos Spiritus nullâ prorsus materiâ esse indutos contendunt.

3. Verùm, 1. licèt concederemus posse esse Spiritus, sine ullis corporeis proprietatibus, ut vult Cartesius; non constaret an re ipsâ iis careant, an verò omnes, ita volente rerum omnium Creatore, corpori sint conjuncti. 2. Cùm ignota nobis sit Spirituum & Corporum intima natura, non possumus, utrum Spirituum & Corporum proprietates in uno eodémque subjecto esse nequeant definire, ut alibi ostendimus. Fortè autem idem est utrarumque subjectum, fortè diversum, fortè eæ proprietates necessariò conjunctæ sunt; adeò ut hîc nihil explorati habeamus. Qui ergo negant aut adfirmant posse esse Spiritus, sine ulla corporea proprietate, ii longiùs æquo progrediuntur.

4. Chaldæi tamen * Græcique Philosophi, ex Pythagoræ & Platonis Schola, Mentibus incorporeis perpetuò adesse corpus tenuissimum; & Mentes Humanas, hoc crasso corpore destitutas, eo, quod ὄχημα vocant, seu *vehiculum Mentis*, esse indutas, nec umquam exui

* Vid. Hist. Philos. Oriental T. Stanleii.

exui volunt. Sed sua dogmata quasi quædam λόγια, auctoritate potiùs Deorum, vel Magistrorum suorum, quam rationibus suffulta proferunt. Cùm autem nec veritas Oraculorum illorum, nec ἀναμαρτησία Philosophorum constet; eorum dogmata, quasi compertæ veritatis, admittere non possumus. Ea tamen nosse conducit, ut sciamus quæ fuerit olim sententia de hoc negotio, inter sapientiores Ethnicos & Christanos, qui eos sequuti sunt; quibus etiam Hebræos, è captivitate Babylonica reduces, conjungere possumus.

5. Cùm nequeamus colligere ex natura ipsa Spirituum, nobis ignota, utrum sint aut sine omni corporea proprietate, vel cum tenuiore tantùm corpore, quando *puri* dicuntur, videndum est an Experientia nos aliquid de hisce doceat; multa enim eâ viâ, imò pleraque omnia Entia novimus, ad quorum cognitionem solâ ratiocinatione aut numquam, aut raro deveniremus.

6. Per totum Orientem, viguit ea sententia, quam jam adtigimus; nempe, præter supremum Deum, esse innumeras alias inferiores Mentes, ejus in administratione Universi Ministras. Eas Mentes sæpe ad homines missas fuisse, cùm ut aliquid eos monerent, tum ut improbos plecterent & probis subsidio essent. Prout autem ipsis videretur, conspicuas, aut inconspicuas factas; adeò ut multa egerint non advertentibus hominibus, multa etiam ab iis conspectæ, formâ plerumque humanâ, sed augustiore & sanctiore. † Græci similia etiam de suis Numinibus narrabant

† Vide & *Apuleium* in Libro *de Deo Socratis*, & in Libro *de Mundo*.

bant, ut apud Poëtas, & Historicos passim videre est.

7. Quamvis multa mendacia iis sint narrationibus admista, nec quænam veræ, quænam falsæ sint satis nobis constet; attamen propterea omnia quasi falsa repudiare, ut faciunt plurimi, temerarium est. Non possumus ullâ ratione ostendere, ex ipsa natura rerum, fieri non posse, ut sint Spiritus tenuiori corpori conjuncti; neque Gentes tam multas, locisque & opinionibus adeò remotas, quasi ex compacto, de Spirituum apparitionibus omnia quæ dixerunt mentitas esse verisimile. est. Mendaciorum, quæ circa hanc rem inventa sunt, originem esse veram aliquam apparitionem, cui similes, ut fit, innumeræ aliæ fictæ sint, multò credibilius. Ac sanè plerisque Mendaciis quæpiam Veritas, quæ postea immutata, aut adaucta figmentis est, ortum dedit.

8. Sed quamvis tacerent aliæ Gentes, testimonium exstat omni exceptione majus Gentis Hebrææ, quam tot singularibus beneficiis ornavit Deus. Ejus autem Historiæ nos docent sæpe, variorum ministeriorum causâ, missas esse Mentes cœlestes à Deo; quo fit ut dubitare quin sint Mentes quædam, præter Humanas, Dei ministræ nefas sit.

9. Verùm eædem Historiæ de natura harum Mentium, quas *Angelos* seu *Nuncios* vocant, prorsus tacent. Hæc tantùm ex iis quæ habent colligimus: 1. Esse Mentes ab humanis distinctas: 2. Eas Deo ministrare: 3. Corporibus, sub humana specie, interdum indutas apparuisse: 4. Ne corpora illa nostris planè similia suspicaremur, ea

ea subitò ex adspicientium conspectu ablata & cuilibet motui, seu adscendendum, seu descendendum esset, apta fuisse.

10. Ceteroqui, neque an illarum intima natura sit omnis proprietatis corporeæ expers docent; neque an corpora quæ habebant ad tempus sibi adsumsissent, ea, peracto ministerio, depositure, an verò in perpetuum iis vestitæ essent, ostendunt. Cùm ergo neque naturæ ignotæ consideratio, neque experientia aliorum hominum, aut nostra nos quidquam iis de rebus doceant, instituti nostri memores nihil definiemus.

CAPUT II.

De iis, in quibus Spiritus Puri similes Mentibus nostris; & iis, in quibus Mentibus præstantiores sunt.

1. NOvimus, internâ conscientiâ, inesse nobis cogitationes varias, seu id quod Mentem vocari diximus. Similes esse Mentes in aliis Hominibus intelligimus, quòd ab iis eadem fieri videamus, quæ nos non sine cogitatione facimus. Inter alia, loquela manifestum est indicium inesse aliis ratiocinandi facultatem; neque enim posset inter homines convenire quibus vocabulis certas ideas, potissimùm abstractas, adpellitarent: aut sibi invicem ad rem responderent, ubi ratiocinationibus opus est; nisi utrimque ratiocinandi similis esset facultas, licèt non sit æquè in omnibus excellens.

2. Si-

2. Similiter, qui sermones conseruerunt cum aliis Naturis, aut verba audiverunt suis similia, & alias earum actiones quæ in intelligentes tantùm Naturas caderent viderunt; iis inesse facultates nostris similes, hoc est, intellectum, voluntatem, memoriam, &c. collegerunt. Ita olim sub V. F. & sub Novo, legimus interdum Angelos homines alloquutos, sermonésque cum iis habuisse, varia denique Deo ministeria præstitisse; quæ intelligentium tantùm sunt Naturarum.

3. Attamen, licèt inde meritò colligamus Angelos esse intelligentes Naturas, fatendum est, nos non posse adfirmare eorum facultates, aut facultatum usum prorsus esse similia nostris: neque dissimilitudinem, si quæ sit, nobis esse notam; quod ut clariùs constet, facultates, quæ Menti nostræ tribuuntur, singillatìm cum Angelica Natura conferemus.

4. Angeli quidem certò *intelligunt*, sed an eodem modò ac nos intelligant id demum incompertum est. Tantùm abest ut quæ sit ratio eorum intellectionis definire possimus, ut ne intellectionis quidem nostræ rationem ipsi teneamus, ut ostendimus *S.* I. *C.* V. ubi de *Ideis* egimus. Scholastici quidem, qui nihil ignorare videri volunt, hoc discrimen esse inter intellectionem Angelorum & nostram, aiunt; quòd Angeli principia cognoscant, & ex iis consectaria deducant, non longâ propositionum serie consideratâ singillatim, sed unico intuitu. Contrà nos non modò seorsim propositiones consideramus & comparamus, sed ex consectariis, seu effectibus ad principia & causas adscendimus.

Uno

Uno verbo, res novimus *à posteriore & successivè*; Angeli verò *à priore* & *uno intuitu*, si Scholasticis credimus. Verùm hæ sunt meræ conjecturæ, quarum nullas rationes esse, præter Magistrorum auctoritatem, fatentur; quæ auctoritas esset alicujus ponderis, si Scholasticus aliquis Philosophus, inter Angelos versatus, hæc ab iis accepisset.

5. Ad *voluntatem* quod adtinet, quæ est altera Mentis nostræ facultas, dubium esse non potest, quin eâ sint præditi, quoniam sine Voluntate inutilis esset intellectio; quippe ex qua sola manant judicia, sine quibus nulla est ratiocinatio.

6. Major est difficultas, circa *sentiendi facultatem*; quamvis enim Angeli sentire videantur quæ inter homines aguntur, cùm nonnulla inter eos administrant; organísne utantur, an nullis, & quomodo objectis adficiantur, in re tam obscura, quis dicere queat? Scholastici, inter alia, quærunt an dolorem patiantur Spiritus illi, ubi feriuntur corpora quibus induti sunt, aut eorum, uti loquuntur, *solvitur continuitas*. Verùm hæc nemo definire queat, nisi cui Angeli dixerint, aut qui ipse Angelum fuisse se meminerit.

7. *Libertas* censetur olim fuisse Angelis, quia eorum nonnulli, ut Orientales credebant, & Sacræ testantur Litteræ, in Deum peccarunt; alii verò in officio manserunt. Vulgò tamen existimant post lapsum malorum Angelorum, utrorumque libertatem, aut ejus usum periisse; adeò ut neque boni peccare, neque mali ad saniorem mentem redire queant. At hæc omnia sunt

sunt meræ hariolationes. Certè si iis demta sit libertas, propter ea quæ nunc agunt neque præmia exspectare eos, neque pœnis subesse oportet. Si careant libertate in judiciis ferendis, oportet iis omnia esse perspicua, aut eos cæco semper ferri in omnibus judiciis impetu, quorum neutrum verisimile est.

8. An *imaginentur* scire nullo modo possumus, quoniam aliquídne habeant, quod cerebri sit iis loco, ignoramus; uti nec, an sine cerebro ulla sit imaginatio, nobis constat. Quidquid hic in alterutram partem dicatur, æquè incertum est.

9. *Memoriâ* carere censeri non possunt, si iis ratiocinandi concedatur facultas, quam sine memoria esse non posse jam demonstravimus *Sect. I.* C. II. Nec opus est ea quæ ibi diximus repeti.

10. *Habitus* inesse iis nemo etiam dubitet, quoniam ex Memoria, ut ostendimus *Sect.* I. *C.* IV. necessariò fluunt. Sed si quis quærat utrum habitus suos adquisiverint repetitis actibus, aut actione semel editâ ejus repetendæ facultatem sibi compararint; is sibi responsum differri patietur, donec inter Angelos versemur; nemo enim hoc præter ipsos, & eos quibus aperuerint, scire potest.

11. Diximus *Sect.* I. *C.* VI. & VII. nos ignorare an insit Mentibus nostris *locomotiva facultas*; ideóque an Angelis insit iisdem ferè de rationibus dubitamus. Constat quidem ex Sacra Historia, & innumeris aliis, Spiritus illos corpora quædam movere visos; sed eadem hîc oritur, quæ circa Mentem humanam agitatur.

tatur quæstio, nempe, an translatio corporum, Angelis volentibus loco motorum, sit effectus immediatus & propriè dictus voluntatis Angelorum? an verò insit iis facultas, ab eorum voluntate distincta, quâ corpora movere queant? Sunt qui adfirment, quoniam nullus videtur esse nexus inter voluntatem Spirituum, & motum corporum, non posse ab Angelis propriis viribus quidquam moveri. Alii contrà, propriis viribus Angelorum corpora transferri contendunt. Verùm utrique, nostro judicio, incomperta proferunt.

CAPUT III.

De Muneribus & Potestate Bonorum Angelorum.

1. IN superiore Capite, aliquos Spiritus, ex iis qui Angeli vocantur, constanter Dei voluntati obsequutos fuisse, alios verò ab officio descivisse vidimus. Hoc Capite quid constet de muneribus & potestate Bonorum, de Malis in sequente acturi, quæremus.

2. Hîc sola ratio in veritate inquirenda nos nequaquam juvat, agitur enim de Naturis, quas expendere non possumus, quoniam cum iis versari nobis non licet. Quidquid de iis novimus pendet ex narratione eorum, qui Angelorum observarunt ministeria; quo fit ut prima cautio hîc à nobis adhibenda tota circa fidem testium versetur.

3. Veteres Ethnici *Dæmonas* suos, seu *Heroas*, qui erant inferiora Numina, Hebræorum *Angelis* similia, rebus humanis præficiebant, unde *ab *Hesiodo* dicuntur,

—— Διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς
Ἐσθλοὶ, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

magni Jovis consiliis, boni, terrestres, custodes mortalium hominum. Existimabant etiam unamquamque regionem habere suos Heroas præfectos, qui ἐπιχώριοι Θεοὶ dicebantur, *regionis Dei.* Atque ad hanc opinionem accedunt Veteres Hebræi, qui dicunt Angelos bonos circa homines castra metari, & à Deo variis regnis præfectos.

4. Nulla ratio, ut Sacrarum Litterarum auctoritatem aliquantisper seponamus, rem ita se non habere ostendit; nihil enim adfirmant hîc Græci aut Hebræi de Angelis, quod sit contrarium cuipiam certæ cognitioni. Igitur potest fieri ut verum dicant, si res in se spectetur. Quin autem sit reapse verum quod à Prophetis Hebræorum dicitur, dubitare nos non sinit Sacri Codicis à Theologis demonstrata auctoritas.

5. Pythagorei credebant unicuique homini suum esse attributum Dæmonem, aut Genium bonum (de malo Capite sequenti dicemus) qui eum quatenus posset tutaretur, bona suggereret consilia, à malis absterreret, ratione quadam quæ à plerisque non sentiretur. Notum etiam est quod fertur de Dæmone Socratis, qui eum multa facere vetaret, ut docet *Xenophon* in *Memorabilibus*, alíque multi. In Vetere Fœdere,

* *In Oper. & Dieb.*

§. 5. *Dæmonem*] Copiosissimè hac de re *Apuleius*, in Libro *de Deo Socratis.*

re, est locus, ubi singularis Angeli, quasi custodis, mentio fit. Eccles. V, *Ne dicas coram Angelo, non est Providentia, ne fortè iratus Deus contra sermones tuos perdat cuncta opera manuum tuarum.* In N. F. libris, celebris est locus Act. XII, 15. ubi mentio injecta *Angeli Petri* ostendit eo tempore Hebræos singulis hominibus Genios suos adtribuisse. Sunt & alia loca huc spectantia, sed non ita clara; quoniam de Angelis, numero plurali, sermo est.

6. Hîc quoque res ipsa nullum veri aut falsi certum in se indicium habet; nec ulla via nobis patet, quâ ad eam introspiciendam pergamus. Antiquissimæ Gentes rem adfirmant, quasi experimentis plurimis compertam. Plurimæ etiam recentiores circumferuntur Historiæ, quibus idem confirmari videtur. *Origenes*, alii̇que Patres Platonici, eamdem opinionem quasi indubitatam amplexi sunt, eámque à Barbaris ad Græcos venisse crediderunt. Attamen quia Scriptura hujus dogmatis non ita meminit, ut ejus fidem atque utilitatem commendet, sed tantùm obiter & aliud agendo; posset fieri ut ex opinione recepta, potiùs quàm ex vero, loquuta esset. Atque ut plerumque exornatur veritas, fortè Gentes de Genio unicuique tributo opinionem finxerunt; ex eo quod scirent Angelos, jubente Deo, aut hominum plurimorum, aut unius etiam curam gerere, licèt singulis hominibus singulos adtributos esse Angelos non constaret. Igitur præstat hac de re ἐπέχειν, quàm quidquam temerè pronunciare.

7. Platonici crediderunt Angelum esse, qui Mentem è cœlestibus locis, ubi priùs erat, ad inferiora deduceret & corpori conjungeret, ubi corpus humanum formaretur; contrà vero Mentem officio defunctam, fatiscente corpore, ad superiora reduceret. Eos Angelos ψυχοπόμπους, & ἀναγωγοὺς, Animi *reductores* & *deductores* vocant. In novi etiam Fœderis Parabola de Lazaro, mentio fit Angelorum Mentem Lazari in sinum Abrahami deferentium, quod ad Platonicam opinionem accedit. Discrimen in eo est, quòd Platonici Angelum unum ἀναγωγὸν uni Menti tribuant, & præterea alterum qui eam cœlo deduceret; seu Genius fuerit custos hominis perpetuus, seu alius. Ut ex Parabola captui popelli accommodata, ideóque secundùm vulgi opiniones concepta, nulla duci certa consectaria possunt: ita nec quidquam certum de re aliunde non comperta statui queat.

8. Quoniam verò constat Deum varia in Telluris globo, & spatiis Tellurem ambientibus Angelorum ministerio efficere: necesse est iis à Deo facultatem datam eorum efficiendorum, quæ jubentur. Sed præterea duo à Philosophis quæri solent, utrum perpetuam & propriam vim habeant agendi, cùm in Corpora, tum in Animos; ánve certos & constantes ea facultas limites habeat, & quousque porrigatur?

9. Philosophis hæc quærentibus ut satisfieret, oporteret adesse Angelum, qui eorum quæsitis responderet. Primò, ostendimus, Capite antecedente, nos ignorare quâ ratione Angeli, vine propriâ, an alienâ, corpora moveant. Secundùm, non minùs ignotum est, perpetuáne ea gaudeant, an ad aliquod tempus,

pus, prout res postulat, accepta. Tertiùm, eadem de ratione, ignoramus an ea facultas, quâ Angeli id peragunt, ad quod missi sunt, semper sit æquè ampla, an minor ac major, pro rerum gerendarum natura. Ignoramus itidem quousque porrigi queat; quemadmodum enim solâ experientiâ novimus, quæ pondera ab Hominibus adtolli, quæ Corpora loco moveri queant: ita inter Angelos nos versatos esse oporteret, ut sciremus quid possint, quid nequeant. Memini me legere apud Theologum non incelebrem, non sine risu, ab Angelis quidem Montes subverti, sed ab iis non posse Telluris integrum globum dimoveri; quasi vidisset quid Angeli queant, ac nequeant! Nescimus etiam an singula, quæ geruntur hîc ab Angelis, à Deo singillatim præcepta iis sint, an verò liberam in quibusdam potestatem agendi, prout videtur, acceperint. Denique quò plura hîc quæruntur, eò plura occurrunt humanæ ignorantiæ, aut temeritatis indicia.

CAPUT IV.

De malis Angelis, eorúmque ministeriis, ac potestate.

1. NOn opus est hîc quæ de Angelorum Natura diximus Cap. II. repetamus, quoniam æquè pertinent ad Angelos malos ac bonos; inter quos hoc tantùm esse creditur discrimen, eo respectu, quòd boni bene facul-

ta-

tatibus suis usi in officio erga Deum manserint, alii verò peccatis contaminati Deo infensi, invisíque sint.

2. Eas porrò facultates initio iis non esse tributas, ab æterno rerum omnium Creatore, quibus necessariò rectè uterentur, ex eventu colligere est. Hinc omnes iis liberum arbitrium, initio saltem creationis, tribuunt; ut in officio manere potuerint, aut non manere.

3. Veterum Ethnicorum nonnulli, ut Persæ, crediderunt duo esse Principia; * quorum alterum bonum, alterum malum esset, sed prius potentius posteriore, quod aliquando tandem à potiore esset perdendum. Græci quoque & Romani *Cacodæmonas* & *Vejoves* inter minora collocarunt Numina. Neutri satis clarè docent, saltem in monumentis quæ ad nos pervenerunt, an malos semper fuisse, an verò è meliore sorte ad deteriorem prolapsos existimarent. At Novi Testamenti Scriptores ostendunt communem inter Judæos fuisse opinionem, Angelorum aliquot *οὐ τηρήσαι ἑαυτῶν ἀρχὴν*, *quales erant initio non permansisse*; adeóque in peccatum esse prolapsos, suâ culpâ. Ceterùm † Orientales etiam reliqui non bonos tantùm, sed malos etiam Dæmonas summo consensu agnoverunt.

4. Græcorum alii crediderunt unicuique homini suum *Cacodæmona*, non minùs ac *Agathodæmona*, attributum. ‡ Narrantur etiam Historiæ de malis Geniis, qui viris illustribus ap-

pa-

* *Vide Lib. Plutarchi de Iside & Osiride.*

† *Vide Th. Stanleii Philosoph. Orient. Histor. Lib. I. Sect. 2. Cap. 17.*

‡ *Vide Quæst. Sacras Steph. Clerici Quæst. V.*

paruerint, ut Bruto ante pugnam Philippensem, auctore *Plutarcho* in ejus vita. Verùm alii, inter quos *Menander* Comicus, ullum singulis adtributum Dæmonem, præter bonum negarunt. Utrique videntur potiùs conjecturas, quàm compertam certis argumentis veritatem, protulisse. At malum unicuique additum esse, à Deo benefico, carnificem & seductorem nullo modo verisimile.

§. 4. *Menander.*] Hi sunt ejus versus ex incerta Comœdia:

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
Εὐθὺς γενομένῳ μυσταγωγὸς τοῦ βίου
Ἀγαθός· κακὸν γὰρ δαίμον' οὐ νομιστέον
Εἶναι τὸν βίον βλάπτοντα χρηστόν· πάντα γὰρ
Δεῖ ἀγαθὸν εἶναι τὸν Θεόν.

Interprete *H. Grotio.*

Hominem unumquemque, simul in lucem est editus;
Sectatur Genius, vitæ qui auspicium facit,
Bonus, nimirum; credi enim malum nefas,
Bonæ insessorem vitæ. Nam qui sit Deus,
Bonus idem sit necesse est.

5. Cacodæmonas autem ita vitio mancipatos esse aiebant, ut Deo perpetuò adversarentur, & hominibus, quantùm liceret, infesti essent. Morbos item innumeros ab iis hominibus, quorum corpora invaderent, creari, & omnia tentari ut humanum genus à Dei cultu avertant. Hæc non modò à Judæis, Apostolicis temporibus, *sed etiam à Chaldæis vetustioribus credita fuisse satis constat. Utrique adferebant historias

* *Vide Michaël. Pselli libellum de Operat. Dæmonum.*

historias quamplurimas, quales multæ in Evangeliorum exstant libris, quibus eam Dæmonum malignitatem probari à se posse putabant. Hodie quidem multò rariores sunt ἐνεργούμενοι, seu à Dæmonibus obsessi; quamquam non desunt exempla, ab iis qui de Dæmonibus scripserunt, congesta. Sunt sanè plurima, arte humanâ ficta, sed nullos esse posse hodie veros ἐνεργουμένους quis contendere sustineat; cùm vetera tot & tanta sint ab Apostolis litteris consignata? Quod autem olim fieri potuit, id hodie non posse quis dixerit? At quæritur quare quod tam frequens Christi tempore in Judæa erat, hodie inter Christianos adeò rarum sit? Ex natura rerum petita ratio nulla cùm hìc occurrat; aut ignorantia nostra profitenda; aut ad Dei confugiendum voluntatem peculiarem, quâ frænum sit Cacodæmonibus laxatum eo tempore, fortè ut occasionem Christo edendorum miraculorum præberet, ut ostenderet se venisse ad destruenda opera Diaboli, ne pro Mago haberi posset; fortè alia de causa, quam non adsequimur. Alterutrum eligatur, nostrâ parum interest, modò ne rem certam faciat ignorantia nostra dubiam.

6. A Cacodæmonibus plura præterea mirabilia fieri, tempestates excitari in terra & mari, pecudes perdi, aliáque innumera quæ vires superant humanas, dictitabant Veteres. Non deerant hìc etiam illis historiæ, quibus rem ita se habere, uti dicebant, ostenderent.

7. Eam suam potentiam Cacodæmonas exserere censebant, in gratiam eorum qui se certis

 riti-

ritibus iis consecrarent; unde hodiéque superest inter omnes Occidentales populos, non secus ac in Oriente, sparsa latè opinio, quosdam esse *Magos* aut *Veneficos*, qui cum Cacodæmone pactum inierint; ut voluntatibus suis Cacodæmon obsequeretur, eâ lege ut ipsi postea Cacodæmonis fiant. Nullum pænè est portentorum genus, quod non narretur à Cacodæmonibus, in gratiam ejusmodi hominum, factum.

8. Ut dubitari vix potest quin iis narrationibus innumera admista sint mendacia: ita omnes falsi arguere temerarium esset, præsertim cùm Sacri Codices similia quædam narrent. Ac sanè res ipsa ita nota nobis non est, ut ex natura Dæmonum possimus quidquam colligere, quod cum iis quæ narrantur, plurimis saltem, consistere nequeat. Si quis ex eo quòd Angeli mali, æque ac boni, substantiæ cogitantes esse meritò creduntur, ut ostendimus, contenderet iis nihil potentiæ in corpora esse, quia nudæ cogitationis in corpora vis nulla est; eum antequàm hoc concederetur, ostendere & quidem evidenter oporteret, 1. nihil esse in Angelis, præter cogitationem: 2. à Deo nullum esse inter eorum voluntates, & corporum mutationes quasdam nexum institutum. Nam si alterutrum sine absurditate admitti queat, etiam haud absurdè in corpora agere posse censebuntur.

9. Sunt qui dicant non vera portenta, sed præstigias ab iis fieri. Verùm ut quid sibi hoc velit intelligamus, definienda sunt vocabula, quibus hîc utuntur. *Portentum*, *Miraculum*, aut *Prodigium*, unum idémque sunt hoc in loco, & deno-

denotant effectum 1. supra vires humanas: 2. præter constantem naturæ rerum ordinem: 3. quod fit volente homine, seu eo momento quo vult. Quis autem possit certis argumentis nixus dicere à Cacodæmonibus nihil posse fieri, supra vires humanas, præter consuetum naturæ ordinem, eo momento quo Magus velit? Cùm, ut antea diximus, nobis Angelicæ potentiæ limites sint ignoti, hîc nihil pronunciare, nisi ab experientia petitum, possumus.

10. Hoc unum ergo superest, ut videamus an aliquando Magi fuerint, qui prodigia ediderint, qualia modò descripsimus. Quamvis autem innumera mendacia circumferantur, attamen omnia prorsus negare, quæ narrari hac de re solent, tutum non esse vidimus. Cavendum etiam est, ne dum ab iis qui à Dæmonibus quidquam fieri posse negant longiùs abimus, incauti delabamur in plebeculæ opinionem; quæ putat Cacodæmonibus vim maximam in omnia à Deo datam, & Magos in homines quosvis, pro arbitrio, Cacodæmonis potentiâ abuti. Parum interdum abest, quin Cacodæmonum potentiam divinæ æquet; ac longè plurimi multò minùs hanc reverentur, quàm illam horrent. Hæ opiniones divinæ bonitati dicam, an providentiæ? immane quantum detrahunt, dum Deum homines Cacodæmonibus fallendos & perdendos tradentem describunt. Itaque habenis compesci à Deo Cacodæmonas, rariúsque eas laxari, ut sine permissione Numinis nihil possint, verius est.

11. Qui facta quædam mirabilia non negant, ii, ut dixi, ut plurimùm *præstigias* fuisse con-

 ten-

tendunt. Verùm præterquàm quod id adfirmant quod nesciunt, duplici sensu vox hæc sumi potest. *Præstigiæ* à quibusdam ita intelliguntur, quasi Cacodæmones quod nusquam est quasi esset, sensibus objiciant; ut Domus, exempli causâ, ibi videatur esse, ubi nulla est. Sed ut hoc fiat, aut cerebrum spectantium movent, ut solet moveri quando obversatur Domus; aut in aëre Domûs speciem quamdam, quæ oculos spectantium percellat, exstruunt. Alterutrum autem eligatur, ostendendum erit quomodo hoc non sit verum miraculum; nam & supra vires humanas, & præter naturæ ordinem, & eo tempore, quo Magus vult, utrumque fit.

12. *Præstigiæ* ab aliis dicuntur artes quædam, in sola dexteritate, & celeritate sitæ; quales sunt Agyrtarum, qui manuum dexteritate, & motu celerrimo portenta quædam vulgo edere videntur. Verùm ut prorsus negari nequit, Cacodæmonas fortè artibus ejusmodi valere: ita etiam omnia quæ ab illis facta dicuntur iis artibus peragi potuisse, vix credibile est. Tota difficultas sita est in inveniendo portento exploratæ veritatis, cui quantumvis mirabili aptari possit quod de præstigiis dicitur. Verùm hujus opusculi limites arctiores, nos hanc in rem latiùs exspatiari, non patiuntur.

CAPUT V.

De Magis seu Veneficis, qui sibi noctu ad Magorum cœtum, colendi Dæmonis causâ, proficisci videntur.

1. Est quidem indubitatum fuisse Veneficos, qui homines & pecudes venenatis cibis interfecerint, aut in longinquos morbos conjecerint. Sunt enim & plurima in rerum natura venena, & animi malefici, qui ut vindictam de inimicis sumant, aut aliis adfectibus indulgeant, venenis abutantur. Hi autem sæpe fassi sunt tormentis adacti non modò se ejusmodi maleficiis usos, sed præterea Cacodæmoni cuipiam mancipatos; quem singulis noctibus inviserent, & sub Hirci forma, cum plurimis aliis Veneficis, adorarent. Se circa Hircum in orbem saltasse, cum eo splendidissimè convivatos esse narrarunt; & similia portenta, quæ à plurimis crassis voluminibus collecta sunt.

2. Veneficos multos talia esse in tormentis confessos, inter omnes convenit; verùm quæritur an verè & vigilantes Veneficorum & Dæmonum Conciliis interfuerint, an in somnis tantùm sibi iis interesse visi fuerint? Ipsi quidem verè adfuisse se, & corpore per aërem eò translatos fuisse pertinaciter credunt; & viros eruditos constanti adfirmatione in suam sententiam pertraxerunt. Alii verò contendunt hæc omnia esse adfectæ Imaginationis, in somnis, phantasmata.

3. Priores adfirmationi Veneficorum credendum esse censent, 1. quòd multi paria dicant, ut ex editis eorum Confessionibus apparet: 2. quòd dubitari nequeat quin ex animo loquantur, quoniam in perniciem suam Dæmonolatriæ mysteria aperire se sciunt, quippe qui flammis Dæmonolatras damnari norunt: 3. quia quod narrant non est impossibile, aut saltem ultra Dæmonum vires positum esse demonstrari nequit.

4. Alii reponunt, 1. hunc Phantasiæ morbum ad plures propagari, narrationibus Maleficorum, qui imaginosum patiuntur: 2. Veneficos somnia vividissima cum rebus verè actis confundere, cujus rei duæ rationes adferuntur. Prima ab experientia petitur, quâ constat plurimos Veneficos arctissimo somno in lectis suis oppressos, atquè immotos conspectos esse, per totam noctem, quâ se Dæmonolatrarum choreis interfuisse postea jactarunt. Altera est, somnia ab iis quæ vigilantibus accidunt aliter secerni non posse, ubi somnia vivida sunt, quàm quia nullum hæc habent cum iis, quæ vigilantes videmus, connexum, nec cum certissima vigilantium experientia consentiunt. Exempli causâ, non credimus Amstelodami, ubi somniavimus nos esse Constantinopoli, id verè contigisse; quoniam ante & post somnium, intra ejusdem noctis limites, Amstelodami in lecto jacere nos sensimus. At Veneficorum somnia ejusmodi sunt, ut debeant esse ab iis quæ interdiu accidunt planè aliena, ut videantur vera. Nocte tantùm, aliis omnibus nesciis, ad Concilia Dæmoniorum iri putant, & qui iis intersunt id altissimo silentio inter-

interdiu dissimulare censent. Hinc fit ut vix, ac ne vix quidem, etiam ab iis qui eos in lecto jacentes totâ nocte viderunt, ad saniorem mentem revocari possint: 3. Ceterùm quod ad possibilitatem rerum adtinet, licèt negari fortè semper nequeat; attamen res ipsas ideò verè contingere, ut notum est, non sequitur.

5. Si cui difficile videtur Phantasiæ morbum ita propagari, ut qui cum hominibus cerebro laborantibus versantur, eósque de suis visis loquentes audiunt, eodem morbo adficiantur; ei posterioris sententiæ Patroni haud difficulter, rei ipsius descriptione, satisfieri censent.

6. Fingamus, inquiunt, Pastorem in desertis montibus vitam degentem, cum pauculis aliis, sæpe noctis silentio per vastas solitudines iter facere solum. Audivit sæpiùs esse Naturas inconspicuas, in desertis vagantes, & tantæ potentiæ ut pænè quidquid velint efficiant, viresque humanæ iis collatæ resistere nullo modo queant. Si ea cogitatio ei in tenebris versanti incidat, quid mirum si totus cohorreat, & nocte, solitudine, ac silentio terrorem augentibus perturbetur, adeò ut vix sui compos sit? Homini autem ita perturbato facilè obversari videntur, quæ nusquam sunt. Audit strepitum foliorum, obscurè videt rupem, aut arborem, aut nubem; jam credit adventare Cacodæmona, quem perculsa Imaginatio illico figurâ quadam vestit; mox audit verba quibus reponit, & ubi domum venit, verissimè gesta putat, quæ Imaginatio perturbata animo ingessit. Si hisce accedat magna Christianæ Religionis ignoratio, quæ inter miseros rusticos nimiùm quàm frequens

quens est, non difficulter adducitur ut horrendæ Cacodæmonis potentiæ succumbat, eámque colere incipiat. Quod ubi semel factum est, facilè intelligitur nihil esse tam absonum, quod ab ejusmodi homine & credi & fieri nequeat.

§. 6. *Nocte, solitudine, &c.*] *Valerius Flaccus* sic describit nocturnum timorem, Argon. Lib. II. vs. 37. & seqq.

Auxerat hora metus jam se vertentis Olympi,
Ut faciem, raptósque simul montésque, locósque
Ex oculis, circúmque graves videre tenebras,
Ipsa quies rerum, mundique silentia terrent,
Astráque & effusis stellatus crinibus æther.
Ac velut ignotâ captus regione viarum,
Noctivagum qui carpit iter, non aure quiescit,
Non oculis, noctisque metus niger auget utrimque
Campus, & occurrens umbris majoribus arbor:
Haud aliter trepidare viri.

7. Ubi Pastor paterfamilias eo in errore versatur, fingamus eum familiæ suæ, uxore æquè ignara rerum omnium & sexu ipso timidiore, pauculisque liberis adolescentibus constanti, ad focum vesperi narrare quæ se vidisse putat. Ex animo loquenti adsunt omnia candoris indicia, vultus pallens & perturbati oculi, pro tantæ rei pondere, verba apta, gestus hominis præterito terrore vehementissimè adfecti. Familia, quæ Virum, quæ Patrem seriò de re tam mira, déque potentia inconspicua, eóque magis tremenda loquentem audit, nec ullo strepitu interpellatur, nisi fortè mugientis venti, aut ululantium bubonum; familia, inquam, facilè credit verissimum esse quod narratur. Hoc ne in dubium possit revocari, faciunt exempla frequentia puerorum, non in solis montibus & inter paucos homines viventium, sed

sed in ædibus frequentissimis, ejuscemodi fabulis adeò territorum, ut sine lucerna nullo in ædium loco versari audeant, ubi nox obscurior est, & vix etiam soli ædes cum candela obire, multò minùs in lecto soli dormire sustineant.

§. 7. *Ubi nox obscurior est.*] Legenda descriptio *Pavoris*, apud *Statium*, Lib. VII. Thebaïdos, ex qua paucula verba proferemus:

— *Quæcumque libet bonus omnia credi*
Auctor, & horrificis lymphare incursibus urbes.
Si geminos soles, ruïturáque suadeat astra,
Aut nutare solum, aut veteres descendere silvas,
(Ah miseri!) vidisse putent.

8. Absolutâ narratione, timidi omnes, cerebro perculso, cubitum eunt, & similia iis quæ narrata fuerant somniant. Quotidie eæ repetuntur narrationes, quæ altiùs memoriæ infiguntur, ut vividiora in dies evadant somnia. Atque ut qui semel territus est, nisi aliquid aliud ei animum addat, magis ac magis, sine causa, suâ ipsius terretur Phantasiâ: ita qui semel ejusmodi imbutus est opinionibus, nec à doctiore ad meliorem mentem revocatur, magis in dies insanit, & pertinaciùs præconceptis opinionibus adhæret.

9. Si autem contingat ut quispiam, ex ea familia, nocturnis terroribus perculsa, somniet, aut vigilans, præ cerebri imbecillitate, credat se audivisse vocem, quæ certis ritibus, aut unguentis uti se juberet, si velit aliorum Veneficorum & Dæmoniorum interesse Conciliis; facilè eum cupido incesset eorum rituum peragendorum, conficiendíve unguenti; quo se inungens certò sciat nocturnis se adfuturum Cœtibus, & à formidolosa

Dæmonis potentia quidquid libebit impetraturum. Ex olentibus herbis contusis & coctis faciet, exempli causâ, unguentum quo se inunget; dein adrepto baculo ei inequitare incipiet, invocato Cacodæmone; quibus peractis mirúmne cuiquam est hominem perturbari, vertigine corripi, somno obrui, in somnis sibi videri per aërem baculo equitantem ferri, & versari cum aliis Veneficis & Dæmonibus?

10. Postquàm autem ejusmodi ritibus usus est, facilè sibi aliisque persuadet hanc esse eundi ad nocturna illa Concilia, certissimam viam. Itaque tota familia iis utitur, & quoniam ritus efficaciam majorem habent ad cerebrum percellendum, quàm sola narratio; quò magis iis utuntur, eò magis perturbantur, & ad insaniam tandem tantam deveniunt, ut non magis dubitent de nocturnis illis læsæ Imaginationis phantasmatibus, quàm de iis quæ interdiu audiunt & vident. Hinc fit ut nolint credere iis qui eos dormientes in lecto viderunt, eo tempore quo se adesse Cacodæmoni, in loco quopiam semoto, somniabant.

11. Quando autem contigit hosce Magos incidere in virum timidiorem & infirmioris cerebri, cui sua somnia narrent, eum adeò terrent; ut vix sui compos exeat, sæpe eosdem furoris Paroxysmos, ac is à quo ea audivit, patiatur, & bonâ fide tandem nocturnis Magorum cœtibus se interesse credat.

12. Sic eæ opiniones, seu cerebri morbi, contagionis instar, latiùs serpunt, & plura infestant capita. Observatu tamen dignum est frequentiores esse eos morbos inter Montium, & locorum solorum incolas, quàm inter eos qui in Urbibus, aut locis frequentioribus degunt; unde etiam terrorem vastarum solitudinum, cerebrum movere aptum, multùm ad hanc insaniam conferre liquet. Addendum etiam hujus insaniæ capaciores esse eos, qui atrâ bile abundant, contrà ab ea alienissimos, qui sunt hilarioris indolis; quod suspicionem auget hæc omnia visa, nihil præter meticulosi & melancholiâ laborantis cerebri ludos esse.

13. Si mirum nimis videretur tot homines, à suo timore suísque temperatione corporis, ludos fieri, posset omnis admiratio tolli furoris majoris exemplis. Morbi plurimi ita cerebrum turbant, ut qui iis laborant sibi quæ nusquam sunt conspicere videantur. Morbus ejusmodi cum vehementiore sanguinis motu conjunctus, si diutiùs duret, ægrum tandem absumit; si verò motus sanguinis resideat, morbus minuitur, atque æger ad saniorem mentem revertitur.

14. Si autem morbus non ita vehementer sanguinem adficiat, ut sine interitu ægri, aut virium imminutione durare nequeat; per plures annos, portenta Menti obversantur, quod frequentissimis exemplis constat.

15. Neque sunt tantùm, qui extra se ea esse putent, quæ nusquam sunt, sed & qui se ipsi esse pertinaciter contendant lupos, aut feras nescio quas. Vocatur is morbus à Græcis λυκανθρωπία, proferuntúrque ejus à Medicorum filiis exempla. Videtur hoc, aut simili morbo laborasse *Nabuchodonosor* Babyloniorum Rex, qui per septennium

nium in sylvis fuit, in quibus instar bovis herbam pascebat, & — *falsis mugitibus agros implebat.* — Quicumque hæc probè expenderit non mirabitur Magorum opiniones instar Melancholici morbi haberi.

16. Attamen licèt hæc sic se habere possint, nolim adfirmare numquam verè contigisse quod Magi narrant; at quod semel verè accidit, millies delusæ Mentis somnia fuisse facilè crediderim.

§. 16. *Nolim adfirmare*] Hac cautione utendum censebat *Plutarchus*, ut hæc ejus verba ostendunt, in vita Camilli p. 132. Τοῖς τοιούτοις καὶ τὸ πιστεύειν σφόδρα καὶ τὸ λίαν ἀπιστεῖν ἐπισφαλές ἐστι, διὰ τὴν ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν, ὅρον οὐκ ἔχουσαν, οὐδὲ κρατοῦσαν αὐτῆς, ἀλλ' ἐκφερομένην ὅπου μὲν εἰς δεισιδαιμονίαν καὶ τύφον, ὅπου ἢ εἰς ὀλιγωρίαν τῶν θείων καὶ περιφρόνησιν. ἡ δ' εὐλάβεια καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἄριστον: *Talibus nimiùm credere, aut nimium diffidere, periculosum est, propter humanam infirmitatem; quæ fines non habet, neque sui compos est, sed fertur interdum quidem in superstitionem & vanitatem, interdum verò in neglectum & contemtum rerum divinarum. Metus verò &, nequid nimis optima sunt.* Sic ille, post memorata nescio quæ miracula.

Secundæ Sectionis Finis.

PNEU-

PNEUMATOLOGIÆ
SECTIO TERTIA.
DE DEO.

CAPUT I.

In quo quid intelligendum voce DEUS; *& Natura, quæ eo nomine appellatur, necessariò esse ostenditur.*

1. NE impingamus in eumdem scopulum, in quem multi impingunt, qui crassos libros de rebus quas nusquam definiverunt scribunt, hoc est, de rebus sibi ignotis agunt; ab initio monemus nos voce Deus intelligere *Ens illud*, quæcumque tandem sit ejus natura, *quod ceteris omnibus exsistentiam dedit, ipsum suam à nullo accepit.* In sequentibus paullò distinctiùs ejus naturam, quantum per humanam imbecillitatem licet, describemus; hoc in loco, satis erit generali definitione vocem *Deus* non esse interpretatos.

2. Scholastici quidem negant Deum posse definiri quòd, ut loqui solent, *transscendat omnes Categorias*, hoc est, referri ad nullum Genus rerum, quæ sub Peripateticis Categoriis continentur, queat; nec ullum nomen ei conveniat

eodem

eodem sensu ac Creaturæ. Certè non est Accidens, neque tamen dici potest Substantia, eodem planè sensu ac res creatæ; nam alio modo subsistit ac nos, quippe qui sit absque causa à qua pendeat, & necessariò, dum res creatæ ab eo pendent, & possunt non esse. Verùm si modò probè intelligantur voces, quibus in describenda Dei idea utimur, ita ut cum nulla alia confundi queat, auditâ definitione, satis id superque nobis esse debet; cùm is sit solus finis, propter quem definitionibus utimur. Parum interest nostrâ, invenerintne Philosophi voces, quibus more suo Genus & Differentiam Dei exprimant.

3. Ens autem ejusmodi, quale descripsimus, esse, & quidem necessariò ostendemus. Verùm ante omnia adsumimus quasi exploratum, humano generi, pro omnium Gentium Historiis, initium fuisse. Fuerunt quidem olim Philosophi, qui cùm hoc re ipsâ coacti confiterentur, humanum genus ex terra ortum, instar Plantarum, censebant: uti liquet ex *Lucretio*, qui hanc opinionem multis explicat & acriter defendit. Verùm si hoc umquam factum fuisset, & hodie alicubi fieret; nulla enim ratio adferri potest, quâ olim id fieri potuisse, nunc non posse constet. Præterea si factum esset, oporteret ex semine, qualia sunt Plantarum semina, natos homines; quo concesso, redirent quæstiones, quis id semen formarit, quis terræ commiserit; nam casu hæc velle esse facta ridiculum est. Si natura quæpiam initium ejus rei fecisse diceretur, eo ipso ad Dei exsistentiam pervenissemus.

4. Ne-

4. Negari non potest quin esse possit Ens humanâ naturâ præstantius, hoc est, & pluribus, & amplioribus præditum proprietatibus; quod plura, exempli gratiâ, & norit & possit. Nec esse tantùm potest ejusmodi Ens, sed etiam est necessariò; nam cùm primus hominum non potuerit sui esse Artifex, causa alia quærenda est, eáque præstantior. Minùs præstans progenerare non potuisset Naturam præstantiorem, nemo enim dat quod non habet. Æquè præstans homo fuisset, quales nos sumus; nec facere quivisset quod nos non possumus, seu è nihilo, sine causa, emergere.

5. Eam præstantiorem Naturam appellamus *Deum*, qui si hominem fecit, quacumque demum ratione eum absolverit, potest æquo jure statui fecisse reliqua animalia, cùm minùs composita, tum majore partium compage constantia; imo etiam omnia quæ nos circumstant corpora, nec humanâ industriâ exornata sunt, ita, ut ea videmus, disposuisse. Nam quandoquidem humanum genus initium habuit, nulla ratio est quæ persuadeat reliqua fuisse æterna. Verùm alia quidem nunc omittemus, ut in homine, ejúsque Creatore hæreamus.

6. Est ergo Natura humanâ præstantior, cui initium humanum genus debet. At qualis ea est? Huic quæstioni hæc reponimus. Videmus in homine esse corpus, quod manibus potest tractari, & certis circumscriptum est limitibus, quod denique variis proprietatibus destitutum est, quibus si esset ornatum, multò præstantius esset. Sentimus præterea in nobis aliquid quod oculis cernere non possumus, quod intel-

ligit.

ligit, vult, sentit, liberum est, imaginatur, recordatur, & multa denique præstare potest, quæ, ut videtur, à conspicuo illo Corpore fieri nequeunt. Hoc posterius vocare *Mentem* solemus, quæ tantopere Corpore conspicuo præstat, ut quædam, quæ Corpore infinitis vicibus majora sunt, adprehendere queat. Cernit vastam illam extensionem, quæ nos undique circumambit; cujus tamen extensionis, ope nostri illius conspicui Corporis, non potest formari imago, quæ non sit infinitis partibus minor, eâ quæ nobis obversatur, neque enim major Corpore nostro esse posset.

7. Igitur Mens est Corpore conspicuo præstantior, nec tamen est ad eum præstantiæ gradum evecta, ut possit Corpus procreare, aut mutare pro arbitrio. Quasdam dumtaxat Corporis partes movere potest, alias, quamvis maximè velit, nequit; uti nec eas ampliare, aut minuere valet. At qui & Mentem & Corpus procreavit, eum cùm utroque, ut vidimus, præstantiorem, tum etiam multò perfectiorem Mente esse oportuit; quoniam efficere ut Mens exsisteret, & Corpus ita formaretur, quale id cernimus, potuit.

8. Hoc itaque jam habemus, eum qui nos progenuit, longè supra nos positum esse. Videmus autem supra nos, hoc est, extra proprietatum nostrarum limites, tria potissimùm rerum esse genera. 1. Sunt ad quæ nostra pertingere nequit cognitio: 2. Sunt quæ efficere non possumus: 3. Sunt quæ ex utroque aliquid trahunt; quæque nobis ignota, & nimiùm difficilia factu cùm sint, quominùs ea, quam optaremus, beatitudine fruamur obstant.

9. No-

9. Nobis constat Mentem esse Corpore conspicuo præstantiorem, nec quisquam inficias iverit, quin esse queant Naturæ, quæ ea norint, possint, atque habeant, quæ Menti nostræ negata sunt, aliæque aliis præstantiores; donec tandem ad Naturam, quæ omnes proprietates omnium generum habeat, omnia norit, omnia possit, summáque fruatur beatitudine, deveniamus.

13. Eam autem naturam re ipsâ esse hac ratiocinatione liquet. Causa quæ homines creavit aut est adhuc, aut periit. Si periit, non fuit ab æterno, nam quod est ab æterno, id perire non potest; quæ enim esset causa, quare id quod nullum habuit initium, finem nancisceretur? Id à se certè non destruetur, nec ab alia Natura, à qua exsistentiam non habet, in nihilum redigetur. Itaque quid ei exsistentiam dederit, quídve finem statuerit quæremus. Si eatur per varios Naturarum perfectiorum gradus, tandem in ea quæ omnes proprietates complectitur, & quæ ut nullum habuit initium, nullum finem est habitura, subsistendum erit.

11. Uno verbo, omnia quæ initium habuerunt ab alio sunt procreata, quia nihil per se incipit esse. Illud autem, quod ea omnia procreavit, nullum habuit initium, nec proinde finem habere potest. Itaque quod omnibus Naturis, quæ inceperunt aliquando esse, seu etiamnum permaneant, seu jam perierint, initium dedit, id sit adhuc oportet. Igitur est Natura æterna, hoc est, DEUS, quæcumque sint ejus alioqui proprietates.

CA-

CAPUT II.

De Proprietatibus Dei in genere, & unde nobis, sine revelatione, innotescant.

1. DUabus viis ad rerum cognitionem pervenimus. Quædam novimus per se, atque *à priore*, ut loquuntur Scholastici, sine aliarum cognitionum interventu, quibus quasi per gradus eò deducamur. Alia verò nobis tantùm per alia, & *à posteriore* innotescunt. Interdum scimus, positis certis causis, certos emanaturos effectus; ut nobis constat, posito pondere majore in una lance libræ, quàm in altera, eam, in qua majus erit pondus, depressum iri. Interdum verò dato quodam effectu, ad causam pervenire conamur; ut cùm ex eo quòd gravia corpora versùs centrum terræ descendunt, ea ab aliis, superiora loca petentibus, deturbari colligimus.

2. Si inquiramus in eam rationem, quâ Deus, sine revelatione, nobis innotescere potest, esse eam *à posteriore*; seu ab exsistentia Creaturarum gradum fieri ad Creatoris exsistentiam comperiemus; & quoniam nemo dat quod non habet, ex proprietatibus Creaturarum, quæ sint etiam in eo à quo illæ fluxerunt, colligimus. Hoc ex demonstratione exsistentiæ divinæ, quam antecedente Capite tradidimus, satis apparet.

3. Philosophi tamen nonnulli volunt Deum, ut *Ens perfectissimum*, à priore nobis esse notum, quia

quia ideam, quæ Menti nostræ obversatur, Entis perfectissimi, considerare, quando videtur, sine aliarum idearum interventu, possumus. Sed quidquid dicant, oportet priùs definiant quid sit *perfectio*, cujus ideam ex Creaturarum contemplatione hausimus; nec perfectiones alias Deo tribuimus, præter eas quas in Creaturis videmus, aut quarum ideas indidem colligimus.

4. Hoc cùm ita sit, videndum quot genera proprietatum in Creaturis observarimus, ut ex effectibus ad Causam adscendamus. Sunt ergo quædam proprietates, quas *Morales* vocare possumus, quales sunt in Creaturis intelligentibus; & quæ ideò *Morales* dicuntur, quòd ad *mores* pertineant. Aliæ sunt *Physicæ*, quæ cùm in intelligentibus, tum in intelligentia destitutis Naturis cernuntur, & quæ ad mores non referuntur. *Bonitas*, exempli causâ, proprietas *moralis*; *Potentia* verò *physica* est.

5. Ut initium faciamus à proprietatibus Physicis, quas in Deo deprehendimus, indubitatum est Naturam, quæ reliquas omnes initium habentes procreavit, harum omnes proprietates possidere; nec tantùm eo gradu quo in Creaturis sunt, sed ita ut nullis terminentur defectibus; cùm nihil sit extra eam Naturam, quæ omnium parens est, quod eas imminuere possit, nec in ejus natura quidquam, quod eas capere nequeat prorsus illimitatas. Creaturæ, exempli causâ, sunt, ideóque etiam est Deus, qui illis exsistentiam dedit; sed præterea Deus ab æterno est, adeóque necessariò; cùm nisi aliquid ponatur sine initio & quod semper

per fuerit, nihil umquam exſiſtere potuiſſet, quis enim quidquam per ſe è nihilo emergere capiat? Hinc exſiſtentiæ ideam nos ex nobiſmet ipſos colligere, indéque ad divinam retrogredi, & ad ipſam æternitatem, dum de initio rerum cogitamus, animadvertimus pervenire.

6. Cùm autem duo potiſſimùm Naturarum genera norimus, Intelligentes & Corporeas, poſſumus in Deo utrarumque proprietates quærere; ſi modò recordemur, quæ defectibus in Creaturis finiuntur, eas eſſe in Deo ſine defectibus, ſeu infinitas. Intelligentes Naturæ intelligunt, volunt, ſentiunt, imaginantur, recordantur; ideóque in Deo etiam hæc omnia ſunt, ſed ſine defectibus, quibus in Creaturis laborant. Intelligit Deus, ſed unico intuitu omnia ſimul; vult, ſed nonniſi ſapientiſſimis de rationibus, nec inconſtanti voluntate, aut conſilio in arena capto; ſentit, ſed non adfectus à Creaturis, quæ nos, quando ſentimus, adficiunt; imaginatur, hoc eſt, rerum corporearum imagines præſentes habet, ſed ſine commotionibus quibus nos percellunt; recordatur, ſed ſine labore & oblivione; nec revocat ea de quibus aliquamdiu non cogitaverat, ſed omnia ſemper præſentia intuetur.

7. Extenſio univerſa ſimul ſumta videtur limitibus carere, nullos certè ei Mente adfingere poſſumus. Deus quoque immenſus eſt, & eâ quidem immenſitate, quæ non eſt partibus diſtincta, ita ut hîc eſſe partem Dei, quæ alibi non ſit, dicere poſſimus. Corpora in alia impacta ea loco demovent, quocumque id fiat modo: ſic & Deus corpora movet, prout vult, quoniam

niam materiæ motum indidit; at non ita movet, ut quantùm immittit tantumdem ipſe amittat motûs, aut ut ſuperficie ſuperficiem premat.

8. Et Spiritus & Corpora *poſſe* aliquid dicuntur, non omnia, ut eorum potentia limitibus, quos tranſgredi nequit, contineatur; at Deus omnia poteſt quæ fieri queunt, hoc eſt, quorum ideam aliquam formare poſſumus. Qui enim dare initium potuit rebus, quæ non erant, quid non poſſet?

9. Et ſic quidem ex Creaturis proprietates *Phyſicas* Dei colligimus; ad *Morales* verò quod adtinet, quamquam nobis etiam gradum ab inferioribus ad ſuperiora facientibus innoteſcunt, paullò aliter id fit. Eæ proprietates divinæ, quemadmodum in hominibus, *Virtutes* appellantur.

10. Si humanam naturam diligenter conſideremus, eam eſſe ejuſmodi comperiemus, ut unus homo ſibi ſolus ſufficere nequeat, ſed mutua indigeamus ope. Hinc naſcuntur officia mutua hominum inter ſe, in quibus ſiti ſunt ii animorum habitus, qui *Virtutes* dicuntur. Sine his vita non eſt vitalis, quid enim humano genere fieret, ſi nulla eſſet conſanguineorum, amicorum, civium, hominum denique inter ſe caritas; ſi nulla foret juſtitia, nulla probitas, nulla fides, nulla beneficentia, nulla denique earum virtutum, quibus Societas continetur?

11. Hinc intelligere licet Deum, qui voluit homines Societate conſtringi, ſine qua vivere non poſſunt, voluiſſe etiam ab hominibus eas

eas coli virtutes, quæ ad tuendam Societatem sunt aptissimæ; ea vitari vitia, quibus dissolvi posset. Hoc autem posito, sequitur ut hæ virtutes Deo gratæ sint, quid enim eum cogeret ferre hominibus, per ipsam naturæ institutionem, leges quas ipse improbaret? Si porrò eas probat, ejus naturæ eas esse consentaneas, adeóque Deum similibus *Virtutibus*, quantùm naturæ divinæ & humanæ discrimen patitur, præditum necesse est. Deo igitur insunt *moralia* adtributa, quemadmodum nobis.

12. Ita ad divinarum proprietatum, quarum collectione Idea Dei constat, cognitionem, ab ipsa natura nostra gradum ad Creatorem facientes, devenimus. Nunc paullò distinctiùs de præcipuis ejus adtributis, quatenus sine revelatione innotescere possunt, agemus.

CAPUT III.

De Æternitate, Immensitate, & Spiritualitate Dei.

1. IN recensendis potissimis proprietatibus divinis, initium à Physicis faciemus, ad Morales postea deventuri. Inter priores eminet *Æternitas*; de qua tamen eò pauciora dicemus, quò pluribus in *Ontologia* Cap. V. egimus.

2. In Æternitate Dei, tria considerare potissimùm possumus. Primùm, esse eam durationem, sine initio & fine. Quando autem dicimus

mus Dei exsistentiam esse sine initio, nolumus dumtaxat defectum à Deo removere, quale est initium, seu simpliciter aliquid negare; sed præterea, eum semper fuisse, quæ proprietas est quàm maximè positiva, adfirmamus. Etenim cùm quævis duratio non sit, multò minùs duratio perpetua negatio erit. Fatendum quidem est nos infinitatis ipsius, abstractè consideratæ, habere ideam tantùm negativam, ut ostendimus *Ontologiæ* C. XVII. At id quominùs ipsa duratio æterna sit maximè positiva non obstat.

3. Hanc Dei proprietatem quidam ex recentioribus Philosophis *Aseitatem* vocarunt, quia Deus, eò quòd principio caret, est *à se*, non ab alio, contendúntque eam esse positivum adtributum; quod eòdem quidem redit ac id quod diximus, sed vocibus novis sine causa expressum est.

4. Quando Æternitatem Dei sine fine esse dicimus, consequens tantùm antecedentis doctrinæ colligimus, quia si ponas Dei durationis nullum initium, eo ipso nullum esse finem adfirmas. Neque enim se ipsa in nihilum rediget Natura, quæ ab æterno fuit; neque ab ulla alia simile pati quidquam poterit, ut primo Capite innuimus.

5. Indidem fluit quod secundum in æternitate considerari potest; scilicet, partes æternæ illius durationis ita connexas esse, ut nullo modo possint à se divelli; contrà quàm in Creaturis, quæ initium habuerunt, usu venit. Non sequitur ex eo quòd hodie sumus, cras futuros; sed semel positâ Naturæ sine initio exsistentiâ, necesse est eam sine fine perseverare.

 6. Ter-

6. Tertium, quod in Æternitate observandum est, in eo situm est ut successione durationis neque ulla mutatio in proprietatibus, neque major Dei duratio fiat. Post mille millenas annorum myriadas, neque erit senior Deus, neque ullam amiserit aut adquisiverit proprietatem; si enim infinito addamus infinitum, prius non fit magis infinitum, quàm antea. Ubi agemus de immutabilitate Dei, ei nihil accedere, aut decedere, sed semper eumdem remanere ostendemus.

7. Quidam volunt Æternitatem Dei esse sine successione, sed cùm hac de re satis egerimus Cap. V. *Ontologiæ*, hîc pluribus de ea loquamur necesse non est. Illinc poterunt, quæ huc faciunt, peti.

8. *Immensitas* Dei inde colligitur, ut Cap. antecedenti breviter indicavimus, quòd extensio videatur immensa. Absurdum enim esset Deum, qui multò plures proprietates habet quàm extensio, quæ pigra & immota nihil agit, patitúrque omnia in se fieri quæ vult Deus, eâ ita superari, ut partes extensionis, ultra divinæ potentiæ limites porrigerentur; quod tamen statueretur, nisi Deus esset immensus, seu nisi posset per se agere per infinitam extensionem. Imò nisi Deus immensus esset, remanerent infinita semper extensionis spatia, ad quæ numquam ejus potentia pertingeret.

9. Utuntur hîc Philosophi Christiani etiam argumento, ex creatione materiæ è nihilo deducto, quod licèt vero nixum hîc non urgebimus; quia res est profundioris indaginis, & fusiore inquisitione indiget.

10. Sed

10. Sed quæret fortè quispiam, quæ sit tandem immensitas Dei; nam eam hactenus potiùs obscurè descripsimus, quàm definiimus. Respondemus nos eam in se non intelligere, sed à posteriore illuc pervenientes, eò usque tantùm hoc in negotio progredi, ut Deum in infinita totius rerum Universitatis extensione per se posse agere colligamus. At si quæratur quomodo in extensionem agat, aut quâ ratione ei præsens sit? fatebimur id à nobis non intelligi; quamvis mundi, qualis est, exornatio, hominísque inter alia procreatio manifestò Deum præsentem in extensionem egisse testentur.

11. Scholastici quidem, hoc in loco, de *virtuali extensione*, seu quæ *eminenter* in Deo contineatur, multa dictitant: sed tandem eò deveniunt ut quid sibi velint nesciant, aut Deum extensum prorsus efficiant, seu ei extensionis defectus ipsos tribuant. Exempli causâ, dicunt nonnulli Deum esse *locum* corporum, hoc est, infinitum illud & immotum spatium, quod corpora continet. Hoc si verum esset, à Deo corpora moveri intelligere non possemus, quî enim extensio mera eáque immota aliud moveret?

12. Rei, quæ à posteriore quidem nobis constat, modum ignotum esse ingenuè agnoscere præstat. Itaque quando dicimus Deum esse immensum, æquè ac extensionem; ubique extensioni ipsum adesse, atque in eam per se agere, à nobis intelligitur; licèt rationem, quâ adest & agit, prorsus ignoremus.

13. Immensitatis divinæ consideratio nos ad *Spiritualitatem*, quoniam Philosophi hæc conjungere solent, deducit. Eum enim esse immen-

sum

ſum, eâ immenſitate quæ Spiritui non quæ corpori convenit, aiunt. Sed alii corporum proprietates ineſſe Deo negant, alii, ut diximus, neſcio quam extenſionem *virtualem*, cujus ideam formare non licet, & quæ ſpirituali naturæ conveniat, effingunt. Nos quæ nullo modo intelligimus quaſi comperta proferre, aut obſcuro ſermone ignorantiam noſtram tegere religioni ducimus. Itaque hîc paucis, quæ certa videntur, contenti, cetera omittemus, & nobis ignota eſſe ingenuè fatebimur.

14. *Spiritus*, initio hujus Opuſculi, vocari à nobis omnia Entia, quæ Intellectu & Voluntate prædita ſunt, diximus. Eo ſenſu dubitari nequit, quin Deus *Spiritus* appellari debeat. Qui initium dedit Spiritibus, quales ſunt humanæ mentes; is neceſſariò earum facultates, & quidem noſtris ampliores poſſideat oportet, ut diximus, ubi ejus exſiſtentiam probavimus.

15. Oſtendimus etiam, *Cap.* II. hujus *Sectionis*, eas proprietates à Deo ita poſſideri, ut in eo ſint ſine defectibus, quibus in nobis laborant, nec ea hoc in loco repetemus. Obſervabimus tantùm eum, qui omnibus aliis Entibus initium dedit, & ab æterno fuit, tantæ eo ipſo eſſe ſupra reliqua omnia excellentiæ, ut qui hoc (quod neceſſariò oportet) conceſſerint, nullam proprietatem quantumvis eminentem ei negare queant.

16. Cùm igitur Spiritum dicimus Deum, eum prorſus ejuſdem naturæ aut non amplioribus facultatibus, & quas eodem modo exerceat, eſſe præditum ac Angelicas Naturas & Mentes humanas, non intelligimus. Hoc volumus, nihil poſſe à Spiritibus fieri, facultatibus quibus præditi ſunt, quod Deus quoque ſuis, multò etiam meliùs & faciliùs efficere nequeat.

17. Si quis quæſiverit quare Deus à nobis potiùs *Spiritus*, quàm *Corpus*, vocetur, cùm non minùs habeat proprietates Corporum quàm Spirituum? Reponimus omnium quidem Entium proprietates in Deo eſſe, ideóque ad unum Genus Entium eum accuratè loquendo, magis referri, quàm ad alterum non poſſe. Sed quoniam uſus obtinuit ut denominatio fiat à nobiliore parte, hoc eſt, ab ea cujus adtributa aut plura ſunt, aut minoribus laborant defectibus; Deus meritò *Spiritus* potiùs quàm *Corpus* dicitur, quia intelligere, velle, omnia providentiâ adminiſtrare, aliáque ejuſmodi, adtributa ſunt præſtantiora, quàm id facere quod corpora efficere poſſunt. Deinde qui dicunt Deum eſſe Spiritum, propterea non negant eum eſſe Corporum proprietatibus inſtructum, quia ignotum nobis eſt quæ naturâ Spirituum contineantur. Sed ſi diceretur Corpus, quicumque ita loqueretur, negare videretur in Deo eſſe vim intelligendi, quia eam corporibus meris detrahere ſolemus.

18. Huc accedit quòd Corporis appellatio *viſibilitatem*, hoc eſt, ſuperficiem quamdam certis finibus limitatam, quâ lux ad oculos noſtros reflectitur, involvit; Deus autem eſt *inviſibilis*, hoc eſt, ejus limitationis, ex qua oritur viſibilitas, expers. Certè qui primi Deum *Spiritum* eſſe dixerunt, & quos nos hodie ſequimur, Veteres Hebræi, nulla alia de cauſa Deo hoc vocabu-

cabulum imposuisse videntur, nisi quia eum intelligentiâ præditum, & inconspicuum esse norant; ea enim sola Spirituum adtributa cognovisse videntur, quoad ex omnibus eorum libris, qui supersunt, colligere licet.

12. Possumus ergo dicere Deum esse Spiritum, non minùs ac æternum & immensum; nec de verbis litem nobis moverit quisquam, quando nec ea primi invenimus, nec ea definire recusamus. Ceterùm Dei proprietates Spirituum proprietatibus analogas, Capitibus sequentibus, pluribus persequemur.

CAPUT IV.

De Intellectu & Omniscientia Dei.

1. DEum intellectu esse præditum, si non constaret vel ex eo quòd nos ejus facultatis nobis simus conscii; ex mundi mirabili dispositione, satis liqueret. Quicumque enim mundum non summâ ratione, sed casu esse factum olim crediderunt, adeò sunt ab omnibus explosi, atque ita insaniunt; ut jam nemo desipienti Sectæ adsensum præbere possit, nisi alienatæ Mentis.

2. Igitur missis prolixioribus argumentis, quibus Deum intelligere solent probare Philosophi, duo hîc expendemus; quâ ratione Deus intelligat, deinde quæ sint ejus intellectionis objecta, secundùm quæ Cognitio, seu Scientia Dei in varia genera dividi solet.

3. Nos quidem, intimâ conscientiâ, objecta verò corporea ex occasione motûs cerebri, atque

que obversantibus Menti nostræ rerum, quas intuemur, imaginibus; Spiritualia denique ideis, quæ Menti se sistunt, cognoscimus. At Deus non eodem modo intelligit, cùm in nostra intellectione quædam sint imperfectiones, seu defectus, quibus fieri nequit ut laboret. Sui quidem sibi conscius est, est enim hoc omnium rerum Intelligentium necessarium adtributum. Sed hoc est discrimen inter nos & Deum, quòd Deus suam totam naturam intellectione exhauriat, nec sit quidquam in ipso, quod non norit; nos verò totam Mentis nostræ naturam notam non habeamus. Scilicet, à Deo procreati sumus, qui certos limites facultatibus nostris præscripsit, ultra quos procedere non licet; sed qui ab æternitate fuit, is nec ab alia natura quidquam accepit, nec sibimet ipse, si ita loqui licet, negavit.

4. Deus neque motibus in sua natura excitatis, neque perculsus ab objectis sentit, aut intelligit, ut nos solemus. Etenim neque est ἀνθρωπόμορφος, neque à Creaturis suis adfici potest; alioquin aliquatenus ab iis penderet, quippe qui ab objectis varias mutationes pateretur, quod absurdum est.

5. Spiritualia non intelligit, ut nos, intervenientibus ideis, quæ ab ipso non pendeant. Multa intelligere frustra cupimus; ideæ, quibus ea animo nostro veluti præsentia sistuntur, licèt adtentione animi advocatæ, non adsunt. Innumera de Deo ignoramus, nec quomodo ad eorum cognitionem perveniri queat scimus. Igitur hoc pacto Deus spiritualia non cognoscit, quî enim fieri posset ut qui omnibus initium

 dedit,

dedit, eorum omnes proprietates, & relationes non norit?

6. Præterea pauca ſimplici intuitu novimus; pleraque per demonſtrationum, interdum prolixarum, ambages quærenda ſunt. At ratio modò allata Deum unico intuitu Creaturarum ſuarum proprietates & relationes omnes intelligere oſtendit. Intelligendi facultas in hominibus adeò arcta eſt, ut ita loquar, ut plura ſimul intelligere nequeamus diſtinctè, propoſitionéſque à ſe invicem pendentes ſingillatim conſiderare cogamur. Sed qui intellectum hominibus dedit, is ſine dubio moleſtâ ejuſmodi deductione propoſitionum non indiget.

7. Itaque quamvis Deus Ens intelligens dicatur; eodem tamen modo, ac Mentes noſtræ, intelligere non eſt cenſendus. Verùm hîc aliquis quæſiverit, quâ ergo ratione intelligat? Fatemur nos quidem, defectibus, qui in Mentium humanarum intellectione ſunt, animadverſis, poſſe certò adfirmare diſſimilem iis in rebus eſſe divinam intellectionem humanæ, ſed qualis tandem in ſe ſit prorſus ignorare. Scholaſtici verò Deum in ſe omnia cognoſcere, quoniam ejus natura omnes omnium rerum ideas complectitur, dictitare ſolent; ſed quoniam, poſtquàm ſubtiliſſimè ſententiam ſuam explicuerunt, nulla divinæ intellectionis Menti noſtræ obverſatur idea; ſine ambagibus illico, ut temporis fiat compendium, ignorantiam noſtram præſtat profiteri.

8. Omnia, quæ ſub divinam atque humanam cognitionem cadunt, poſſunt ad quatuor referri claſſes 1. eſt præteritorum: 2. præſentium: 3. futurorum: 4. poſſibilium. Homines quædam horum certò cognoſcunt, plurima dubiè, innumera nullâ ratione. Sed Deus, qui id effecit quod omnes homines ſimul efficere non poſſunt, cùm primos homines procreavit, cognitionem habet infinitò ampliorem, ut ex rationibus allatis ſatis apparet. Cùm ſemper fuerit, omnia adminiſtrarit & adminiſtret, Creaturas ſuas optimè norit, & quid earum operâ variíſque conjunctionibus fieri poſſit ſciat; neque enim ſine perfectiſſima earum rerum cognitione, iis creandis, aut regendis ſuffeciſſet; ei omnia prorſus eſſe nota colligimus.

9. Ad præterita quod adtinet, nos ea, ope memoriæ, ne effluant retinemus; ſed ita ut Menti noſtræ eo tantùm tempore objiciantur, quo actu de iis cogitamus. Præterea innumera aut non adtendentibus, aut invitis nobis elabuntur. Ea omnia, quin ſint imbecillitatis certa indicia, nemo dubitare queat; ideóque à Deo amolienda eſſe omnes conſentiunt. Si quando igitur Deus negatur alicujus rei meminiſſe, hoc ἀνθρωποπαθῶς dictum eſſe tenendum eſt.

10. Hominum præſentia certis eſt limitibus finita; adeò ut is dicatur præſens alicui rei eſſe, qui eam videt. Quidquid enim fit extra conſpectum noſtrum, id nobis præſentibus factum eſſe negatur. Sunt fortè alia Entia Spiritualia, quales Angeli, quorum præſentia latiùs patet, quòd plura ſimul animadvertant quàm nos; ſed Deus qui immenſitate ſuâ, ut vidimus, ubique præſens eſt, omnia præſentia per ſe cernit.

11. Præſens autem eſt non modò corporeis actionibus, ſed etiam ſpiritualibus, ſeu Mentis cogi-

cogitationibus; neque enim Mentem minùs fecit quam Corpora, neque minùs opera sua spiritualia, quàm corporea novit. Homines quidem, qui nihil eorum animadvertunt, quæ extra se aguntur, nisi ope sensuum, non sentiunt ea quibus sensus non percelluntur, quales sunt aliorum hominum cogitationes; sed Deus, qui ea organa ipse finxit, ejusmodi subsidio ad animadvertendum quod geritur non indiget, ideóque tam videt Spirituum actiones, quàm nos Corporum, coram nobis loco motorum, translationem.

12. Futura sunt aut necessariò eventura, qualia quæ intervenientibus meris corporibus aguntur; aut contingentia, quæ, scilicet, à libertate Spirituum pendent. Priora quin cognoscat dubitari nequit, qui enim machinam fecit, cujus omnes partes perfectè novit, earúmque inter se dispositionem pervidet, is machinæ effectus certò prævidet, & prædicere potest. Deus autem totius machinæ mundi non modò artifex, sed qui constantibus eam regit legibus, etiam moderator est.

13. Major occurrit difficultas, circa futura contingentia, ut satis ostendimus Ontologiæ Cap. XIII. ubi de Contingentibus egimus. Dicuntur enim contingentes eventus in se spectati ejus esse naturæ, ut sint prorsus pendentes, ac veluti in æquilibrio; hoc est, tam facilè possint evenire, ac non evenire. Qui negant contingentia Deo esse ante eventum nota, eos eventus aiunt esse ejusmodi, ut repugnet eos à Deo præcognosci. Quod est minimè fixum in se, inquiunt, id à Deo quasi fixum præcognosci repugnat: quem-

quemadmodum circulum, qui angulis caret, ab eo quasi angulis refertum intelligi. Itaque queruntur sibi ab adversariis injuriam fieri, qui eos insectantur, quasi divinæ Scientiæ terminos ponerent; cùm non magis eam finiant, quàm Potentiam, qui repugnantia à Deo fieri nosse negant.

§. 13. *Quod est minimè fixum*, &c.] Eòdem recidit argumentum *Ciceronis*, contra divinationem rerum fortuitarum, Lib. de Divin. num. 18. *Ne in Deum quidem*, inquit, *cadere videtur ut sciat quid casu & fortuitò futurum sit. Si enim scit, certè illud eveniet. Sin certè eveniet, nulla fortuna est. Est autem fortuna. Rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio.*

14. Alii verò, qui confitentur esse quosdam eventus contingentes (qui enim necessaria omnia esse putant, eos hîc omittimus) contendunt tamen à Deos eos prævideri, & prædici posse. Atque hi hoc nituntur inter alia fundamento, quòd Deus, si ignoraret contingentia ante eventum, quotidie doctior fieret; disceret enim passim quædam evenisse, quæ antea an eventura essent, ignoraverat. Hoc autem Deo prorsus indignum videtur, ut quotidie videat ea evenire, quæ exspectare non potuerat.

15. Verùm hæc postrema ratiocinatio, ut & aliæ multæ, quæ hanc in rem adferuntur, rationes contrariæ sententiæ, aut objectiones meræ sunt; quibus nullo modo solvitur argumentum adversariorum §. 13. allatum. Si verum hîc profiteri licet, fatebimur utrimque esse difficultates maximas, quarum quidem specimina allatæ esse poterunt. Utraque pars adeò plausibilibus utitur rationibus, ut si seorsim audiantur, nunc ab una, nunc ab altera stare Veritas videatur.

16. At ii omnium modestissimè ac prudentissimè se gerere nobis videntur, qui postquàm eventus esse contingentes, atque ex Scriptura Deum ejusmodi eventus prædixisse ostenderunt; ideò, licèt contingentiam rerum cum præcognitione certa in concordiam redigere nequeamus, tamen hanc esse admittendam contendunt, quia modum quo Deus res cognoscit ignoramus. Hoc tantùm superesset quærendum, an prædictiones sint in Scriptura, quæ circa res planè contingentes versentur. Verùm hoc Theologicum est, non nostri instituti.

17. Possibilia omnia à Deo cognosci intellectu difficile non est ei, qui meminerit rerum naturas perfectè Deo esse notas; adeóque eum planissimè scire quid earum ope, seu seorsim agentium, seu conjunctarum, fieri possit. Cùm præterea suarum perfectionum sibi plenè conscius sit, potentiæ suæ extensionem, hoc est, quæ facere posset si vellet, quæ verò sint naturâ suâ repugnantia, noscat necesse est.

18. Ceterùm Scholastici distinguunt Scientiam in *conditionatam* & *absolutam*; *simplicis intelligentiæ* & *visionis*. *Conditionatâ* scientiâ Deus quid futurum sit novit, si hoc aut illud fiat, quia nexum causarum & effectuum perspectum habet. *Absoluta* verò cognitio est quæ versatur circa eventus certos, & quorum fixæ sunt causæ. Scientia *simplicis intelligentiæ* circa possibilia, sive sint futura, sive non; quæ verò *visionis* dicitur circa futura; eáque quasi in certo tempore considerata, versatur. Hæ non sunt facultates diversæ quæ Deo insint; sed una eadémque Omniscientia divina, variorum objectorum respectu, considerata.

CAPUT V.

De Voluntate & actionibus Dei, ac præsertim Creatione è nihilo.

1. QUamvis unus idémque Deus & intelligat, & velit; attamen quia intelligere & velle duæ sunt actiones, in Deo distinguitur Intellectus à Voluntate. Ante omnia, nos profiteri oportet ignorantiam nostram; tantùm enim abest ut hîc acutùm videamus, ut nesciamus quomodo ad volendum impellatur Deus, quia ejus intellectionis modum ignoramus. Hoc generaliter dumtaxat adfirmare licebit, Deum non agere, seu ad volendum, nisi rationibus sapientissimis naturæque ejus consentaneis, non adduci.

2. Circa modum, quo agit Deus, æquè ignari sumus, licèt innumera à Deo facta esse, & fieri certò sciamus. Quidam olim crediderunt Deum agere in Creaturas; nescio quo virtutis effluvio, quod ab illo in eas transiret; sed quodnam sit hoc effluvium cùm docere nequeant, perinde est ac si nihil dixissent. Alii acutiores aiunt Deum agere Voluntate suâ, adeò ut sola volitio, sine ulla alia actione, rem quam fieri vult peragat. At licèt verissimum sit nihil eorum quæ Deus vult non fieri, ut ostendemus, ubi de ejus Omnipotentia agemus; attamen res ipsas esse effectus immediatos ejus volitionum non satis constat.

3. Solent quidem dicere nullam aliam actionem Spirituum esse nobis notam, præter volitionem,

ideóque nullam etiam aliam Deo tribui oportere. Verùm hæc ratiocinatio statuit quidquid est in Spiritibus nobis esse notum, quoniam non licet quidquam esse in Spiritu adfirmare, nisi quod novimus. Præterea quis docuit eos, qui ita loquuntur, Deum eodem modo agere, quo agunt Spiritus nobis noti, hoc est, Mentes humanæ? Sanè postquàm immane discrimen esse vidimus inter Mentes nostras & Spiritum increatum, aliis in rebus; adfirmare eos hac in re esse similes temerarium est.

4. Præcipua omnium Dei actionum est Creatio mundi, in quo considerantur *materia* & *forma*; & circa materiam quidem potissima est quæstio, nam posito à Deo creatam esse ipsam materiam mundi, facilè formam ab eodem ei inditam ostendere est.

5. Duo sunt Entium genera nobis nota, Spiritus & Corpora. Utraque autem à Deo è nihilo, sine præjacente materia, esse creata hoc generali argumento ostendunt Metaphysici. Illa duo Entium genera sunt à se, aut ab alio; seu initium habuerunt, aut nullum. Si omnia, excepto uno, initium habuerunt, confecta res est, habemus unicum illud æternum Ens, quod quærimus. Sin verò semper fuisse omnia dicantur, videndum an in eorum natura quidpiam sit, quod Æternitatem, ut ita dicam, sapiat.

6. Ut à Spiritibus initium ducamus, nullum Spiritum notiorem Mente nostrâ habemus, cujus proinde in exsistentiam, an æterna sit, meliùs, quàm in aliorum Spirituum, inquirere possumus. At primò, nos non recordamur fuisse,

fuisse, nisi ante pauculos annos, nedum ut ulla sit in nobis æternitatis memoria; unde consequens est, si reverâ Mentes nostræ ab æterno fuerint, id aliunde nobis, si sciamus, innotuisse oportere. Revelatio tamen nulla est Naturæ æternæ, quæ nobis eam nostri præstantiam, cujus alioquin obliti essemus, in memoriam revocarit. Nullum etiam in Mente nostra durationis sine initio indicium videmus, quod ejus æternitatis suspicionem in nobis creare possit. Cognitiones nostræ tam arctis limitibus circumscriptæ sunt, ut nihil pænè norimus, præter proprietates pauculas rerum, quas primùm sensibus hausimus, & quas longâ experientiâ compertas habemus; unde postea abstractione, adjunctâ animi conscientiâ, generalia axiomata formavimus, ut satis in Logica ostendimus. Potentia nostra, sive facultates Mentis nostræ exiguæ sunt, & ad paucissima porriguntur. Hæccine autem sunt æternitatis indicia? Certè quod ab æterno fuit, ut nullâ causâ ut esset indiguit: ita nec indigere ullâ causâ videtur ad alias proprietates, æternitate nequaquam præstantiores, consequendas. Præterea Mentes nostræ maximis incommodis invitæ subjacent, quales sunt dolores innumeri, quibus inviti adflictamur. An credibile est Naturam adeò præstantem, ut exsistendi initio careat, posse ab aliis, quibus esset antiquior, aut saltem æqualis, ita vexari?

7. Non novimus quidem alios Spiritus, nisi obscurè, ut in secunda hujus Opusculi Sectione ostendimus; sed tamen nihil est quod animis nostris suspicionem injicere possit, inter ea quæ de

de eorum natura non novimus, esse Æternitatem. Imò quæ de illis narrantur à variis Gentibus nihil tale arguunt, quod patebit leviter expendentibus ea quæ de Spiritibus separatis diximus; ideóque fusiore eorum examine hîc supersedebimus.

8. Si nos ad Corpora convertamus, in corporea natura, nihil etiam deprehendemus, quoad æternitatem illi tribuendam adducamur. Tres potissimùm in corporibus novimus proprietates, Extensionem, Divisibilitatem, Impenetrabilitatem, seu Soliditatem. Hæccine autem includunt ullam æternitatis ideam? An possumus dicere: *Corpora sunt extensa, divisibilia, & solida; ergo æterna?* Imò si conferamus summam illam Æternitatis perfectionem, cum defectibus quos deprehendimus in materia; eos defectus cum Æternitate stare posse numquam animum inducemus ut credamus. Exempli causâ, materia est per se immota, eodémque in statu quietis in æternum remaneret, nisi vi externâ agitaretur. Quis possit sibi persuadere Naturam, quæ omnium proprietatum præstantissimâ gauderet, tanto defectu laboraturam?

9. Unicum argumentum, alicujus ponderis, quo utuntur qui æternitatem materiæ propugnant, huc redit, quòd extensionis infinitæ, quam quaquaversùm porrigi videmus, nullum capiant initium. Quantumvis animo nitantur, negant se ullo modo intelligere posse hanc semper non fuisse. Verùm non dicemus quidem hîc, quòd Philosophi Veteres & Recentiores plurimi dixerunt, & sine dubio verum est, solam extensionem non esse corpus; sed eos jubebimus in se ipsos descendere, & diligenter expendere quid intelligant, quando dicunt materiæ initium ullum à se concipi non posse, ideóque nullum esse.

10. Si quis dixerit *materiam cœpisse exsistere*, propositionis hujusce non modò subjectum & adtributum probè intelligimus, sed etiam eorum nexum distinctè percipimus. Hoc unum fallit eos, qui initium materiæ se intelligere posse negant, quia nihili, quod, ut ita loquar, exsistentiam materiæ antecessit, positivam ideam effingere vellent; quæ tamen fallax esset, cùm nihili nullum conceptum, nisi negativum, habere queamus. Igitur quando cogitamus de initio materiæ, non est negandum id à nobis concipi, quòd ideam statûs, qui materiæ exsistentiam præcessit, nullam habeamus positivam; nam nulla esse debet, neque potest, nisi fallax.

11. Hinc colligere est, 1. quoniam nihil, neque in Spiritibus, neque in Materia, videmus, quod eorum Æternitatem prodat, saltem ea esse æterna adfirmare nos non posse: 2. cùm Spiritus & Materia laborent defectibus maximis, non posse iis tribui proprietatem omnium præstantissimam Æternitatem; adeóque illa esse creata ab alia Natura, quæ illis proprietates, quas voluit, adtribuit; quas visum est negare, non dedit. Quod habet per se id quod majus est, potiore jure id habebit quod minus judicatur. Ideóque quod est ab æternitate, id sanè nihil est quod per se habere non debeat.

12. Hinc

12. Hinc satis apparet innumera Entia è nihilo esse veluti producta, adeóque Causam habere quæ è nihilo ea eduxerit, cùm nihil per se esse incipiat. Atque id cùm de Spirituum Substantia, & de Materia ipsa mundi, à nobis ostensum fuerit; multò minùs de forma, contradicentibus omnium Gentium Annalibus & rebus etiam ipsis, negari potest. Ideóque posteriori huic rei non immorabimur, cùm præsertim à Theologis soleat probari.

13. Paucis tantùm verbis quæstionem celebrem adtingemus, *utrùm Deus liberè mundum creaverit*? In memoriam ante omnia revocandum, *libertatis* nomine intelligi *facultatem quâ aliquid facere, aut omittere possumus.* Itaque quando quæritur an Deus liberè agat, idem est ac si quæreretur an Deus eâ facultate, quâ possit non facere quod facit, sit præditus?

14. Quoniam autem simili facultate ornati sumus, ut nobis sumus ipsi conscii, quin ea quoque gaudeat Deus dubitare nefas est. Sed cavendum ne eam in Deo libertatem ponamus, quæ ex naturæ defectu manet. Interdum libera sunt judicia nostra, quia res, de qua judicamus, satis nobis non est nota, ut ostendimus, ubi de Libertate egimus. In Deo, Libertatem ejusmodi ignorantiâ niti, ejus non patitur Omniscientia.

15. Sed potest fieri, ut quando de re quapiam facienda Ens sapientissimum, si ita loqui fas est, deliberat; duæ sint rationes æquè graves, quarum una rem faciendam, altera omittendam suadeat. Tunc videtur liberè posse alterutrum eligere.

Sed si convenienter sapientiæ suæ Deus ut agat, quidpiam facere, aut omittere eum necessariò oporteat, tunc libertatis nullus superesse videtur usus; non magis quàm in nobis quando propositio, de qua judicium ferendum, ad summum evidentiæ gradum perducta est. Ut enim per naturam nostram evidentibus adsensum negare nobis non licet: ita nec Dei natura eum sapientiæ minùs convenienter agere patitur.

16. His positis, quando quæritur *an Deus Mundum liberè creaverit*? nihil est quod reponamus, nisi, ut solvatur ea quæstio, nobis priùs sciendum esse an rationes creandi mundi ejus ponderis apud Deum fuerint; ut naturæ suæ convenienter non egisset, nisi quod suadebant fecisset. Si eæ rationes ejusmodi fuerunt, Mundus liberè non est procreatus; sin verò convenienter naturæ suæ agendo, Deus eas negligere potuit, liberè creata est rerum universitas.

17. Nunc autem, cùm eas rationes nemini revelarit, qui solus eas novit Deus, propositæ quæstioni quidquam reponere religioni ducimus. Temerarium videtur homunciones, quorum cognitio arctissimis limitibus continetur, judicia de rebus adeò supra se positis ferre. Hoc in negotio, si aliàs usquam, adsentiendum ei videtur, qui de re incomperta dicturus: **quid putem*, inquiebat, *non quid contendam*, *ponam*; *hominis enim est hæc opinari*, *Dei verò scire*.

18. Suæ

* *Varro ex Platone.*

18. Suæ ignorantiæ, & viæ quâ ad divinarum rerum tenuem pervenitur cognitionem, immemores ii ſunt, qui Deum neceſſariò omnia agere ἀποτόμως contendere audent. Neſcimus quomodo Deus ad agendum adducatur, nec poſſumus aliter ea de re loqui, quàm ex analogia proprietatum, quas in nobis deprehendimus, & à quibus à poſteriore ad Dei proprietates pervenimus; ideóque hac in re tutius nihil eſt ſapienti ἐποχῆ, quæ temeraria omnia judicia coercet.

CAPUT VI.

De Providentia & Concurſu Dei.

1. POſtquàm de Creatione diximus, ſequitur ut de rerum creatarum regimine agamus, quæ *Providentia* ſolet appellari, & definiri poteſt: *Actio Dei, quâ omnes creaturas, ſecundùm leges à ſe poſitas, conſervat, & regit.* Quæritur, in ipſo tractationis limine, an Ratione ſolâ probari poſſit divina Providentia? Quæ ut ſolvatur quæſtio, obſervandum eſt duo eſſe rerum genera, circa quæ verſari poteſt Providentia; quarum aliæ ſunt intelligentiâ, adeóque libertate deſtitutæ: aliæ verò & intelligentes & liberæ. Hæ cùm ſint naturâ diverſæ, non eodem modo divinæ ſubjacent Providentiæ.

2. Si res intelligentiâ deſtitutas, ſeu corporeas, conſideremus, videbimus eas conſtanti ordine perpetuò agi; unde colligere eſt eas aut ejuſmodi naturam à Creatore accepiſſe, quæ ordinem ſe-

ſemel inſtitutum neceſſariò ſequatur, aut etiamnum à conſtante cauſa regi. Alterutrum autem ſtatuatur, divina agnoſcenda eſt Providentia. Si prius, fatendum eſt Deum ſuis Operibus *providiſſe*; qui ſtabilem adeò iis conceſſerit naturam, ut leges ſemel iis poſitæ numquam violentur. Si poſterius, ea conſtans cauſa, quæ omnia reget ac ſuſtentabit, cùm à Creatore diverſa eſſe nequeat, divina Providentia extra omne dubium collocabitur.

3. Circa res intelligentia ac libertate prædítas, paullò obſcurior videtur Providentia. Attamen vel ex eo cognoſci poteſt, & ab Ethnicis ſapientibus agnita re ipſâ eſt, quòd res corporeæ, quæ circa homines poſitæ ſunt, ita ſint eorum uſibus aptatæ, ut earum ope vitam commodiſſimè ſuſtentent. Si Deus homines ſemel creatos poſuiſſet in terra iis, quæ ad vitam neceſſaria ſunt, deſtituta, neque ullam viam eorum comparandorum aperuiſſet; brevi totum humanum genus intercidiſſet, & meritò ſe à Creatore ſuo ſine providentia derelictum queri potuiſſet. Sed cùm contrario prorſus modo ſe nobiſcum geſſerit, hinc evidenter poſſumus colligere nos Deo curæ fuiſſe & etiamnum eſſe.

4. Alia quidem multa & poſſunt adferri, & adferuntur hanc in rem argumenta, ſed præterquàm quòd per inſtitutum noſtrum prolixioribus nobis eſſe non licet, pleraque ſunt, ſi Rationem Revelatione deſtitutam ſpectes, obſcuriora. Satis eſt, hoc in loco, oſtendere humanum genus à Deo non negligi; unde proclive eſt colligere Dei Providentiam, occultis etiam ſæpe

ſæpe nobis rationibus, circa nos agere poſſe, quoniam manifeſta curæ ejus in hominibus ſuſtentandis indicia habemus.

5. Sed ut diſtinctiùs Metaphyſicorum doctrinam, circa Providentiam tradamus, tres in ea potiſſimùm ſpectandæ ſunt actiones. Prima eſt *Conſervatio*, altera *Concurſus*, ſeu *Cooperatio*, tertia *Gubernatio*.

6. Circa Conſervationem, duplex eſt Philoſophorum ſententia, licèt ceteroquin omnes creaturas à Deo conſervari conſentiant. Alii volunt, ſemel creatis rerum naturis eam inditam ſtabilitatem, ut ſuæ naturæ vi eſſe pergant, niſi à Deo deſtruantur. Subſtantiæ omnes, ſecundùm eos, vi à Deo ſemel acceptâ neceſſariò ſunt, niſi ab ipſo Deo in nihilum redigantur. Quæcumque, nempe, mutationes, ex naturæ legibus, iis eveniunt accidentales dumtaxat ſunt. Alii verò conſervationem eſſe veluti perpetuam quamdam creationem contendunt; adeò ut quemadmodum, Deo volente, vi hujus voluntatis, res exſtiterunt: ita, ejuſdem voluntatis perſeverantis efficaciâ, eſſe pergant. Sunt etiam alii, qui non voluntatem ſolam Dei exſiſtentiæ & durationis rerum cauſam agnoſcunt; ſed præterea influxum neſcio quem Dei in creaturas eſſe adfirmant, cujus vi conſerventur.

7. Nos de hiſce omnibus ſententiis hoc judicium, ſine temeritate, ferri poſſe opinamur; nimirum, Philoſophos, qui eas propugnant, de re ſibi incomperta judicare. Primi, qui Deum volunt ſtabilitatem ſubſtantiis indidiſſe, non poſſunt adfirmare ſubſtantiarum naturam ſibi

ſibi perſpectam eſſe, atque in ea ſtabilitatem, quam dicunt, ſe deprehendiſſe; ideóque meram conjecturam in medium proferunt. Ad alteros quod adtinet, verum quidem eſt ſubſtantias, Deo volente, primùm exſtitiſſe, & etiamnum perdurare; ſed quæritur an id fiat vi ſolius voluntatis divinæ, quod, ut obſervavimus, non ſatis intelligitur. Si ad *influxum* confugias, rem neque compertam, neque ab ullo intelligendam profers; adeóque nihil, quod accuratè philoſophantibus ſatisfaciat, dicis.

8. Libera debere eſſe hac de quæſtione judicia videntur, quoniam res eſt naturâ ſuâ obſcurior, quàm ut quiſquam eam ſibi perſpectam eſſe jactare poſſit. Hoc unum extra omnem dubitationem poſitum videtur, omnia, Deo volente, in eo ſtatu quo ſunt manere; ac, Deo volente, diſſolvi, & in nihilum redire poſſe; nam qui omnibus exſiſtentiam dedit, idem adimere poteſt.

9. Metaphyſici non modo ſubſtantiam & proprietates rerum à Deo volunt conſervari, ſed præterea negant cujuſquam creaturæ ullam eſſe actionem; ad quam Deus non concurrat. Ita nunc plerique cenſent; nam *Durandus*, qui exiſtimavit à Deo ſemel datam Creaturis operandi facultatem dumtaxat conſervari, ſine cooperatione in ſingulis actionibus, paucos nactus eſt diſcipulos.

§. 9. *Durandus*] *A Sancto Porciano* dictus. Gallus Arvernus, qui floruit circa annum M CCC XX. De hac ejus ſententia diſſertationem ſcripſit *Joan. Launoiïus*.

scipulos. Alii ferè omnes Creaturis omnem agendi facultatem detrahunt, atque actiones, quæ Creaturarum dicuntur, propriè esse Dei qui ex occasione Creaturarum agat, adfirmant.

10. Potissimum fundamentum, quo hæc opinio nititur, hoc est; nempe oportere Creaturas à Deo pendere, non modò procreationis & conservationis ratione, sed etiam in ipsis operationibus, quod solent Metaphysici ita efferre: *causas secundas pendere à prima in fieri, in esse, atque in operari.* Videtur hisce Philosophis quicumque ausit negare operationes Creaturarum esse ipsius Dei, eas divinæ potentiæ subtrahere, quod blasphemiæ adfine est.

11. Verum solent sæpe, vocibus obscuris, sibi & aliis fucum facere, nec speciosis verbis nobis imponant oportet. Quærendum itaque quid sit *pendere?* Si hac voce significetur Creaturis nullam inesse per se operandi facultatem, sed Deum propriè loquendo esse facultatem Creaturarum; hoc ipsum est quod quæritur, meráque admittitur petitio principii. Sin autem *pendere in operando* significet, quod potest sanè significare, ejus esse naturæ ut, si Deus velit, operandi vim detrahat, impediat, & dirigat, prout vult, quod nemo negarit qui Deum agnoscat; tum verò Axioma allatum Deum esse auctorem actionum Creaturarum non probat.

12. Certè ut summam Dei in omnia sua Opera potestatem agnoscamus, non videtur necesse esse ut ipsi tribuamus quæ à Creaturis fiunt; sed tantùm ut, quemadmodum quidquid habent Creaturæ id à Deo acceperunt: ita omnia eo volente amittere, nec suis facultatibus, inscio, aut

aut invito, uti ullo modo posse nos credere profiteamur. Satis, hoc posito, à prima causa pendere intelliguntur, neque ulla ratione divinæ potentiæ subtrahuntur. Igitur speciosus ille *dependentiæ*, ut loquuntur, Creaturarum à Deo prætextus, quo probare nituntur omnia à Deo fieri, planè inanis est.

§. 12. *Quidquid habent*, &c.] Eleganter *Lactantius* de artium inventione, Inst. Div. Lib. I. cap. 18. *Reliquerit hæc sane Deus humanis ingeniis eruenda; tamen fieri non potest quin ipsius sint omnia, qui & sapientiam tribuit homini, ut inveniret; & ipsa illa, quæ possent inveniri.*

13. Tantùm abest ut hæc opinio divinam gloriam extollat, quemadmodum ejus fautores jactare solent; ut potiùs, duplici de causa, divinis perfectionibus immane quantum detrahat. Primò enim, dum ita deprimuntur Opera divina, etiam intelligentia prædita, ut in machinam alienis nervis mobilem mutentur; divina Potentia multò minùs in mundi creatione elucere ab incautis Philosophis statuitur, quàm ex *Durandi* sententia. Tantæ certè potentiæ indicium non est machina, quæ ut effectus edat, quibus destinata est, debet ab opifice moveri; & præterea in edendis illis effectibus ita ab eo adjuvari, ut effectus sint opificis, si propriè loquamur, non machinæ quæ merum est instrumentum, nulla vi agendi præditum; tantæ, inquam, non est ejusmodi machina potentiæ specimen, ut quæ aliquid, sine artificis auxilio, per se agere potest. Quis Horologium quod fune circumducto, vi elateris sui, horas, sine alio subsidio demonstrat, ei quod idem præstaret, impulso digito gnomone, non præferat? Quis αὐτόματον seu

αὐτοκίνητον, ſi fieri queat, machinæ externâ vi actæ, non anteponat? Igitur divinæ gloriæ majorem rationem habent, qui vim à Deo acceptam, quâ per ſe agere poſſint, Creaturis tribuunt, quàm qui earum actiones Dei eſſe contendunt.

14. Secundò, hac poſteriore ſententiâ, Deus malarum actionum auctor ſtatuitur; licèt pernegent *Thomiſtæ*, ſententiæ hujus propugnatores. Si enim quando homo quidpiam vult, ea volitio in eo gignitur à Deo, ſequitur Deum eſſe mali auctorem, ſi ea volitio mala ſit. Vult, exempli causâ, quiſpiam fidem Evangelio detrahere; quæ volitio mala eſt, nec poteſt à Deo gigni, niſi ſit peccati auctor.

15. Atque hæc objectio æquè firma eſt, ſeu admittatur cum Theomiſtis *prædeterminatio phyſica*, quâ cauſæ ſecundæ, antequàm operentur, accipiunt à Deo *influxum*, ut loquuntur, quo poſito, non poſſunt non operari; ſeu quis dixerit non prædeterminari quidem cauſas ſecundas à Deo, ſed tantùm ab eo τὸ εἶναι actionibus Creaturarum conferri, eo momento quo operantur. Nam dare τὸ εἶναι actioni cuipiam eſt facere ut actio quæ non erat ſit, adeóque eam reverâ edere: ut *prædeterminare* aliquem ad aliquid faciendum, ita ut eâ poſitâ *prædeterminatione*, nequeat ab eo faciendo abſtinere, eòdem recidit ac id ipſum facere per ſe.

16. Alii quidem difficultatem eludere nituntur, diſtinctione inter id quod eſt in actione *morale* & *phyſicum*, aut inter actionem *in ſe conſideratam*, & *relationem* ejus ad certum *objectum*. Aiunt à Deo fieri quod phyſicum eſt in actione, non quod morale; actionem ipſam, non quod in

in ea reſpectu objecti vitioſum eſt. Verùm, ut *aliud agendo alibi obſervavimus, hæ diſtinctiones mera ſunt aurium ludibria. Etenim licèt abſtractione poſſint morale à phyſico, actio ipſa à relatione ad objectum diſtingui; non ſequitur ea eſſe diviſa, aut actionem ſingularem poſſe diviſim ita edi, ut Deus partem ejus, alteram Creaturæ faciant. Nulla eſt actio in genere, omnes ſunt ſingulares & eo ipſo momento, quo eduntur, versùs certum objectum feruntur. Igitur eæ opiniones, dum primâ fronte videntur ad divinam gloriam excogitatæ, reverâ Deo detrahunt honorem ſanctitatis.

17. Hoc adeò manifeſtum eſt, ut non opus eſſet rei ampliùs inhærere, niſi paucis objectioni quorumdam Metaphyſicorum reſpondendum eſſet. Aiunt à ſolo Deo poſſe Entia creari, adeóque actiones Creaturarum, quæ actiones Entia ſunt, ei eſſe tribuendas. Fatemur quidem à Creaturis non poſſe novas ſubſtantias creari; ſed quare non poſſint ſubſtantiam aliquam modo quopiam novo adficere, non videmus. Imò contrà ſentimus, & ipſi Mentem noſtram à nobis modificari, variis rationibus, nobis conſcii ſumus. Ipſi volumus, aut voluntatis impetum cohibemus, prout videtur, variis in rebus. Ipſi etiam nobis conſcii ſumus, eáque conſcientia cogitatio eſt, ſeu modificatio Mentis; quæ modificatio planè noſtra eſt, non aliunde nobis injecta. Igitur licèt ſubſtantiarum procreatio ſupra nos ſit poſita, accidentia gignere poſſumus.

* *Logic.* P. I. C. 10. & IV. C. 9.

18. Neque hoc quidquam divinæ gloriæ detrahit, quoniam hoc ipsum quod accidentia procreamus à Deo, non à nobis, habemus, cui nos totos debemus. Præterea tantum est discrimen inter substantiæ è nihilo creationem, & modi alicujus generationem, ut semper immensum, hac in re, inter Deum & homines supersit intervallum; cùm præsertim Deus accidentium, quæ à Creaturis fit, procreationem & norit, & impedire, si ei videtur, possit.

19. Tertia divinæ Providentiæ actio est *Gubernatio*, quæ cùm in rerum merè corporearum, tum in humanarum administratione sita est. In ea administratione Deus viis jam institutis, à prima rerum creatione, aut inusitatis utitur. In priore agendi ratione, summa postulatur sapientia; cùm in tam multiplici causarum corporearum & liberarum concursu videre quid futurum sit, atque eventibus moderari difficillimum sit. Summa verò Dei Potentia elucet, in extraordinariis eventibus; etenim novas leges, prout libet, naturæ rerum præscribere ejus solius est, qui ordinarias semel posuit. Per ordinarias naturæ leges non potest, exempli causâ, cadaver in vitam rursus vocari. Dissoluta semel corporis humani compages numquam reficitur, quod experientiâ certissimâ constat. Igitur si homo mortuus ad vitam redeat, non potest hoc esse effectus legum naturæ ordinariarum, sed tantùm voluntatis extraordinariæ Legislatoris summi, qui omnia è nihilo eduxit.

20. Verùm hìc observandum, non semper à nobis posse inusitatos ejusmodi eventus ab ordinariis secerni, quia rem usitatam quidem in se, sed circumstantiis nobis ignotis, extraordinariam, sine interventu causarum secundarum, Deus potest facere. Exempli causâ, nihil est pluviâ frequentius, nihil, secundum veteres naturæ leges, facilius, ubi sunt multi in aëre vapores, qui frigore aut vento condensantur. At si nulla corporea causa vapores è terra educat, nulla eos in pluviam cogat; sed solus Deus hoc efficiat, tum est extraordinaria pluvia. Verùm hanc pluviam ab ordinaria secernere nobis non licet, nisi Deus ipse revelarit.

21. Ceterùm divina Providentia aliter se gerit circa causas liberas, ac circa eas quæ ineluctabili mechanismo agunt. Non eodem modo percelluntur Spiritus ac corpora, ideóque aliter reguntur. Sed quomodo hìc Deus agat, & quotuplici ratione, ignotum est. An immediatè cogitationes animis ingerat, an utatur tantùm externis objectis, aut quando alterutrâ tantùm adgrediatur homines viâ, nobis prorsus latet. Ideóque, cùm præsertim Theologi hæc soleant excutere, pluribus de iis agere supersedebimus.

Caput VII.

De Infinitate & Omnipotentia Dei.

1. Ontologiæ nostræ Cap. XVII. ubi de Finito & Infinito egimus, paucula de Infinitate Dei prælibavimus. Inter Infinitatis genera eam quæ *perfectionis* dicitur, & quæ in solum Deum cadit recensuimus. De qua paullò distinctiùs hìc sumus acturi.

2. Duplici ratione divinæ proprietates infinitæ dici possunt, *numero* & *intensione*. Numero infinitæ sunt proprietates divinæ, quòd Deus in se complectatur proprietates omnes possibiles, quæ tot sunt numero, ut numquam exhauriri queant. Hoc inde liquet, quòd Deus omnia possibilia efficere queat, seu omnia quorum ideas formare possimus, è nihilo educere, ut infra ostendemus; nemo autem dare possit quod non habet, ut sæpe diximus. Igitur Deus omnes omnium rerum possibilium proprietates in se habet; ideóque, vel hoc respectu, infinitus dici potest.

3. Si omnia, quæ sunt, Naturarum genera nobis nota essent, fortè inde etiam infinitatem Dei colligere possemus. Fortasse enim sunt infinita Entium re ipsâ exsistentium genera, infinitíque eorum gradus inter Nihilum & summam illam Naturam quæ omnia è nihilo eduxit. Certè Opificem, cujus est infinita beneficentia, non decet numerus infinitus Creaturarum, in quas inexhaustas suas opes effuderit. Sed quia conjecturis hîc agere nolumus, priore potiùs ratiocinatione, ad probandam infinitatem proprietatum divinarum, nitimur.

4. *Intensione* verò infinitæ sunt Dei perfectiones, quòd nullus earum capi possit terminus, atque ad omnia prorsus objecta ad eas pertinentia extendantur. Exempli causâ, duratio Dei dicitur infinita; quia neque habuit initium, neque finem habitura est. Nemo potest indicare divinæ durationis terminum, ultra quem Deus neque fuerit, neque erit, ut ostendimus ubi de Æternitate egimus. Scientia Dei infinita dicitur, quòd omnia quæ possunt sciri, Deo nota sint, nec quidquam sit, de quo dicere queamus: hucusque non porrigitur Dei cognitio, aut hîc est ultimus divinæ cognitionis terminus.

5. Quando ita loquimur, probè observandum est nos intelligere tantùm objecta realia; non verò repugnantes ideas, quæ propriè nihil sunt. Si ergo dicimus Deum omnia scire, non intelligimus voce *omnia* repugnantes propositiones, quæ non sunt scientiæ ullius objecta. Nemo dixerit detrahi Omniscientiam Deo ab eo, qui Deo notum esse circulum quadratum negarit; quia reverâ circulus quadratus est idea contradictoria, seu merum nihil. Igitur non præfiniuntur divinæ scientiæ limites, ubi id quod naturâ suâ sciri non potest Deo notum esse negatur. Modo nulla res γνωστὸς Deo latere, nec ulla propositio, quæ intelligi queat, illum fugere dicatur, satis est.

6. Hoc ipsum dicendum de Omnipotentia Dei, quæ est *facultas omnium, quæ concipi possunt, faciendorum*. Vidimus * nos ad Potentiæ divinæ cognitionem pervenire, ex nostra ipsorum conscientia, quâ aliquid à nobis posse fieri sentimus; sed hinc colligimus Deum esse nobis potentiorem, quòd ea fecerit quæ nos non possemus, quale est initium dedisse humano generi nondum exsistenti, ut reliquarum omnium rerum procreationem omittamus.

7. Verùm quando cogitamus Deum ab æterno fuisse, nec quidquam eorum quæ habet ab alio accepisse, sed per se & naturâ suâ semper

G 4

* *Sup.* Cap. II. 8.

semper habuisse; eò facilè devenimus ut Potentiam, ut & reliquas ejus proprietates, esse infinitam agnoscamus. Etenim qui tantæ præstantiæ est, ut duratione infinitâ sit præditus, utque nihil ab ullo Ente acceperit; nullos etiam proprietatum terminos habere potest. Proprietates finitas eæ Naturæ habent, quæ eas ab alia ipsis fines statuente acceperunt; non quæ sibi ipsa, si ita loqui licet, pro arbitrio quæ voluit dedit.

8. Quoniam ergo nulla fuit antiquior Natura, quæ Deum facultatibus quas habet ornaverit, Potentiæ ejus nulli prorsus sunt limites, seu omnia potest facere, quæ fieri possunt. Nullam rem animo concipere quimus, ad quam non porrigatur divina potentia; ostendimus enim alibi * ea demum possibilia à nobis dici, quorum ideam formare possumus.

9. Hîc rursus observandum est, quod jam monuimus, & quidem eò diligentiùs, quò plures hac de re inter Philosophos Christianos ortæ sunt controversiæ, quia non satis intellexerunt nonnulli quid sibi vellent. Qui dicunt à Deo omnia posse fieri, voce *omnia* non complectuntur ea quæ naturâ suâ fieri non posse à nobis intelliguntur, sed tantùm *omnia possibilia*.

10. Quæritur, exempli causâ, an Deus possit facere ut aliquid sit & non sit simul? Deum quidem posse facere ut aliquid, quod non erat, sit, seu existat: aut ut aliquid, quod erat, non sit, seu desinat esse intelligimus. Sed quis intelligat vi divinâ posse fieri ut aliquid sit, & non sit simul? Hæc certè propositio, quod de repugnantibus, omni-

* *Ontolog.* C. XIV. 6.

omnibus § alibi à nobis observatum est, sensu omni destituta est; nec qui eam profert magis intelligitur, quàm si Linguâ sibi & aliis ignotâ uteretur, aut prorsus sileret. Aliquid, quod est & non est simul, est merum non Ens, nulliúsque adeò potentiæ objectum.

11. Igitur qui, divinæ potentiæ reverentiores ut videantur, negant se audere dicere à Deo repugnantia non posse fieri, sibi ipsi fortè, aut certè aliis speciosis vocibus illudunt. Contra qui à Deo talia fieri posse negant, ii nihil divinæ potentiæ detrahunt; quandoquidem hoc eòdem recidit, ac si merum nihil esse divinæ objectum potentiæ negarent.

§ *Ontolog.* C. XIV. 12.

CAPUT VIII.

De Miraculis.

1. QUæ de divina Omnipotentia modò diximus, non intempestivè hîc de *Miraculis* agi posse nos admonent. Qua quidem in re, quæstiones Theologicas, quoad fieri poterit, vitabimus, hîc enim pænè solam Rationem audimus. Primùm itaque, quid propriè miraculum vocetur, & quo discrimine vera à falsò sic dictis secerni queant; secundò à quo fieri, & quæ inde deduci consectaria possint; tertiò circa quæ miracula edantur, ostendemus.

2. *Sectione* II. C. 4. hujus Opusculi, ut miraculum quidpiam vocetur, tria postulari obiter diximus, quod accuratiùs hîc excutiemus. Oportet I vires humanas superet: II. Præter con-

constantem naturæ rerum corporearum ordinem sit: III. Si quod, in cujuspiam gratiam, deducendum ex edito miraculo consectarium est, id ab eo cujus potentia, aut in cujus gratiam fit prædici, aut saltem eo tempore, quo eo indiget, evenire necesse est. Quæ tria singillatim explicabimus, quippe quæ solvendis, quæ hîc proponi solent, quæstionibus haud parum conducant.

3. *Primùm* ergo, miraculum non dicitur, si quis quadringenta pondo humeris ferat, neque enim hoc excedit vires humanas. Sed si quis aliquot millena pondo bajularet, miraculum haberetur, si modo & alia, quæ adjecimus, adessent indicia; est enim prorsus supra humanas vires tantum pondus humeris gerere. Sunt qui velint, miraculum dici propriè non quod hominum dumtaxat, sed Creaturarum omnium vires superat, infinitámque potentiam necessariò postulat. Verùm eos falli in sequentibus, ubi de auctore miraculorum, ostendemus.

4. Interea hinc colligere indicium possumus, quo falsa miracula à veris secerni sæpe possunt. Quod quasi miraculum venditatur, si vires humanas non superet, aut humanâ arte fieri queat, id suspectum esse debet. Exempli causâ, quidpiam, quod humano capiti simile sit, incorruptum per aliquot sæcula servare non est supra humanam artem positum. Cereum enim effingi caput potest, humano simile, & quod annos ferret. Itaque ante omnia diligentissimè inquirendum an non ars, aut fraus lateat; quod examen si inire non liceat, aut res in medio relinquenda, aut suspecta habenda, si sint suspicandi rationes.

5. Se-

5. *Secundò*, nemo miraculum editum censeat, si metalla igne liquefacta, lapidésve in calcem redactos viderit, quia experientiâ hanc esse igni vim inditam constat. Sed si quis vidisset homines, illæsis & vestibus & corpore, per medias flammas in fornace diu incedere; is meritò, si modò tertium non deesset indicium, miraculum in gratiam eorum factum hoc vocaret. Hîc quoque rem factam esse, ut creditur, certissimum ante omnia sit oportet; alioquin ubi de re ipsa non constat, an sit præter naturæ ordinem frustra quæritur, aut probatur; quod vulgò ab iis, qui ficta venditant miracula, fieri solet.

6. Hoc veri miraculi indicium quidam incertum facere nituntur, hoc argumento; quòd cùm rerum naturæ ordinem non planè noscamus, & innumeræ esse queant nobis causæ ignotæ, quæ inusitatos edant effectus, quidpiam esse præter naturæ ordinem satis certò dijudicare nequeamus. Rerum quidem naturalium inadæquatam nobis esse ideam, aut an sit adæquata scire nos non posse, ultrò fatemur. Attamen tanta non est ignorantia nostra, ut numquam quidquam præter naturæ ordinem esse adfirmare possimus. Plurima Gentium & sæculorum omnium experientiâ constant, qualia sunt quæ modò diximus. Proprietates quidem omnes humanæ naturæ, & substantias quibus homo constat, non satis esse notas passim ostendimus; nec eò seciùs ab homine decem millia pondo bajulari, & ignis vehementiam, sine detrimento, ferri non posse notum est. Si quis tantum pondus ferat, aut illæsus in mediis ignibus diu meat,

 neat,

neat, id præter naturæ esse ordinem omnibus liquet. Si diceretur Cometa ad Solis nostri vorticem adpulsus, præter naturæ ordinem esse, posset hoc in dubium revocari; quia satis nobis non est notus Cometarum motus, ut quid sit præter ordinem quo moventur certò definire queamus. Sed ubi de rebus sermo est, quas omnes homines semper eodem modo se habere experti sunt; quid sit præter naturæ ordinem pronunciare certò possumus, ut ex allatis exemplis intelligere est.

7. *Tertio* loco, miraculum non haberetur, ex quo quidem duci posset consectarium in gratiam cujuspiam, quod nec-opinis omnibus eveniret, neque cuiquam prodesset. Dicitur, exempli causâ, à *Curtio* cadaver Alexandri, septem post ejus mortem diebus, sub fervido Mesopotamiæ cœlo, nullâ tabe, ne minimo quidem livore corruptum, & vultus ejus vigore, qui ex spiritu constat, destitutus non fuisse. Hoc si verum statuatur, nulli tamen consectario locum præbebit; quia nemo hoc præviderat, nec in cujusquam emolumentum vertit. Idem judicium de longè maxima portentorum, quæ apud *Livium* sunt, parte ferendum est. Sed si quis tempus, quo portentum futurum erat, significarit, idque in rem suam aut alterius converterit; tunc hoc inde potest consectarium duci, portenti auctorem hoc ei revelasse, adeóque miraculum in ejus gratiam edere voluisse; quod non faceret nisi is, in cujus gratiam id edidit, illi acceptissimus esset. Ita Moses, qui prædixit Israëlem à Deo liberatum iri, pridiè ejus diei quo mare Erythræum discedere jussum est coram Israële, hoc quoque vaticinio ostendit verum se esse Prophetam, Deóque Israëlis ex Ægypto egressum placere; neque enim Deus in gratiam impostoris, & ut evaderet invisus sibi populus, ejusmodi miraculum fecisset.

8. Hic tertius miraculi character inanem esse ostendit eorum objectionem, qui miracula ordini cuipiam naturæ minùs noto, necessariò tamen sese evolventi, tribuunt; si enim ordo ille naturæ ignotus est humano generi, quî factum ut Prophetæ, Christúsque & Apostoli ejus ordinis effectus ita præviderint, ut post eorum verba, aut preces, semper evenerint? Huic quæstioni reponere illi quidquam nequeunt; sed etsi videntur miraculorum historiam admittere, eam falsam re ipsâ existimant; nec allatam objectionem, quæ historiâ ipsâ evertitur, invenerunt alia de causa, quàm quia historiam apertè negare ausi non sunt.

9. Cùm autem tria, quæ memoravimus, in Scripturæ miraculis reperiantur; ea miraculorum vocabulo digna esse facilè colligere est, nisi à Theologicis, quantum potest, abstinere decrevissemus, præcipuis aliquot selectis quæ à nobis de miraculis generaliter dicta sunt hîc aptaremus. Verùm hoc non est hujus loci, neque factu est difficile.

10. Jam videndum quæ sit causa efficiens & immediata miraculorum. Ipsâ descriptione miraculi homines, & causas naturales seu corporeas, secundùm ordinem à Deo ab initio institutum actas, exclusimus. Supersunt Spiritus humanis Mentibus præstantiores, sed creati; atque ipse, Creator omnium, Deus. Sunt qui præter ordinem

nem naturæ quidquam fieri posse negant ab ullo, nisi ab ejus institutore Deo, imò & *potentiam infinitam* ad miraculum edendum postulari aiunt.

11. Non negaverimus innumera miracula divinæ potentiæ immediatos esse effectus; adeóque ei tribuenda, cujus infinita est potentia, quod Scriptura multis locis testatur. Sed quæritur an semper ita sint supra omnium Creaturarum vires, ut soli Deo, quasi *causæ totali & immediatæ*, tribuenda sint? Ut adfirmatione respondere possemus, oporteret terminos potentiæ omnium Creaturarum nobis esse notos; & miraculorum naturam ejusmodi esse, ut extra eos terminos posita esset. At miracula quidem præter naturæ ordinem fiunt, sed unde nobis constat Deum Spiritibus nullis violandi ejus ordinis potentiam umquam concessisse? Certè quamquam is ordo est ab infinita potentia institutus, non sequitur eum à sola ea potentia immutari posse. Hinc etiam plurima portenta inter Israëlitas Angelorum ministerio edita esse, Deo jubente, memoriæ proditum est.

12. Credibile etiam est ab Angelis numquam eum violari ordinem, nisi jubente, aut peculiaribus de causis permittente Deo. Indecorum enim esset ordinem, à summo rerum omnium Domino sapientissimè institutum, temerè passim à Creaturis immutari. Atque hinc fit ut rarò turbatus sit, nec sine gravissimis causis; ut facilè ostenderemus, si hîc miracula in Sacris Litteris memorata expendi, institutum nostrum pateretur.

13. Quæ

13. Quæ diximus de Angelorum potentia, ea videntur æquè de malis ac bonis debere intelligi; quamvis negare nolimus inæqualem fortè esse variorum Angelorum potentiam, ut alii facilè quod aliorum vires superat efficere queant. Verùm quia hæc omnia ignota sunt, & omnis via, quâ ad eorum penitiorem cognitionem perveniri posset, præclusa; conjecturis indulgere supervacuum est. De potentia Cacodæmonum diximus, quæ verisimillima visa sunt. *S.* II. c. 4.

14. Sed quæritur hoc in loco, si Deus atque Angeli miracula edant, primò unde possimus scire an miraculum à Deo, an ab Angelo sit editum? Secundò, si concedatur ab Angelo profectum, quî malum Angelum à bono secernere? Certè cùm miraculum non postulet naturâ suâ causam, cui potentia insit infinita, ex ipso miraculo evidentia auctoris ejus indicia elicere non possumus. Sed quò difficilius videtur miraculum, eò magis ad infinitam potentiam accedere à nobis judicatur. Exempli causâ, certa prædictio rerum multis sæculis postea futurarum adeò difficilis videtur; ut quamvis scientiæ Angelorum limites nobis ignoti sint, attamen eam ad solum Deum pertinere censeamus. At excitare procellam, licèt supra vires humanas sit, nec alioqui futurum esset, ejusmodi esse videtur, ut ab Angelo & malo & bono fieri posse facilè existimetur.

15. Ad alteram quæstionem quod adtinet, de discrimine inter bonorum & malorum Angelorum miracula inveniendo, certiora nonnulla responderi possunt. Cùm veritas simplex, & una sit,

sit, semper sibi constat. Ideóque quodcumque miraculum eò pertinere videretur, ut quidpiam falsum nobis persuaderet, id à mendace adeóque malo Angelo profectum oporteret. Si ergo miraculum ad confirmandam doctrinam, quam falsam esse ex indubitata Revelatione, aut Ratione scimus, fieret; id fallaci auctori illico tribueremus, & insidias à Cacodæmone simplicioribus strui judicaremus. Contrà si miracula eò spectare videamus, ut homines ad Revelationis & Rationis ductum sequendum excitent, ea si non Deo, saltem bono Angelo meritò tribuimus; neque enim mali Angeli, virtutis ac pietatis hostes, ut iis adhæreamus umquam operam dabunt. At si portentum ederetur, cujus finem nullo modo adsequeremur, id cui tribui oporteret in dubium revocari posset.

16. Ex hujusmodi etiam miraculo, quod de portentis Ethnicorum suprà diximus, nullum certum duci posset consectarium. Sed si quis ad homines erroribus & vitiis inquinatos veniat, eos ad saniorem mentem traducturus; & postquàm docuit quid credi, quid fieri ab iis, ut se & erroribus & vitiis liberent, oporteat, dicat se à Deo propterea missum, & argumentum mandatorum à Deo acceptorum portentum quodpiam subitum editum iri pronunciet, idque eveniat, dubium esse non potest quin verum dicat. Nam nec Angeli mali doctrinæ veræ & sanctæ pondus, edito portento; neque Deus aut boni Angeli plano ac pravo homini auctoritatem, turbato propterea naturæ ordine, conciliare vellent.

17. Ne-

17. Neque dixeris hominem fallacem extraordinarium causarum latentium effectum in suam rem vertere, & credulæ plebi id in sui gratiam editum persuadere posse, quamvis is effectus non evenire non potuerit. Locus huic exceptioni in rebus miris, quas post eventum vir callidus interpretatur, esse potest; sed ubi prædicitur effectus planè inusitatus, & qui à nemine præcognosci potest, ipsa prædictio manifestum est revelationis divinæ indicium. Sic, ut jam monuimus, cùm Mosis prædictioni, de aquis Erythræi maris discessuris, respondisset eventus, nemo dubitare potuit quin hoc ei revelatum esset ab eadem Natura quæ miraculum edidit; imò quin ipsum miraculum, quod tam opportunè accidebat, in ejus gratiam factum fuisset. Sed cùm Alexandro per littus, sub Climace Pamphyliæ monte, iter facturo, Austri, quibus flantibus transiri illac non poterat, in Septemtriones sunt mutati, idque ipse non *sine numine* factum interpretaretur; irrideri meritò poterat, cùm nihil sit vento mutabilius, & insperata opportunitate usus esset.

18. Prostremò, ut de Miraculis tractationi finis imponatur, ostendendum esset in rebus possibilibus, non in effectibus contradictoriis, sita esse miracula; nisi jam, ubi de Omnipotentia Dei egimus & alibi, divinæ Potentiæ objecta non esse repugnantia demonstrassemus. Itaque nihil quidem ea de re addemus; observabimus dumtaxat, si omnia Veteris & Novi Testamenti miracula animo versentur, nullius planè mentionem fieri, quod ita naturæ rerum repugnet. Portenta omnis generis Deus edi-

edidit, sed omnia possunt Propositionibus exprimi, quarum sensus probè intelligitur. Fecisse, exempli causâ, ut qui mortuus fuerat in vitam rediret facilè intelligitur Deus. Sed si quis nobis narraret Deum fecisse ut unus, idemque vir vivus & mortuus esset, hoc est, viveret & non viveret eodem tempore; eam Propositionem numquam intelligere possemus, frustráque nobis, quasi credenda traderetur.

19. Hinc miraculum, quod nunc Christianorum haud exigua pars in Eucharistia fieri vult; ubi, ut aiunt, unum idémque corpus est extensum & non extensum, unum & non unum; hoc, inquam, miraculum nullâ ratione admitti posse colligimus. Possemus & alia indicare, quibus ab omnibus aliis, quæ verè accidêre, miraculis differt; nisi hoc ad Theologicas controversias, quas vitare decrevimus, nos abduceret.

20. Ejusdem generis est miraculum, quo Humanitatis Christi proprietates Divinitatis communes factæ esse, & vice versâ divinæ Humanitatis ab aliis adfirmantur. Unum idémque subjectum, qualis est Humanitas, non potest esse simul Humanitas & non Humanitas; ideóque quidquid dicatur de Communicatione illa Idiomatum, non magis potest intelligi quàm Transsubstantiatio; nec creditur etiam ab ullo, cùm repugnantia credi nequeant, quamvis cæca ejusmodi dogmatum tantoperè jactetur fides.

CA-

CAPUT IX.

De Immutabilitate & Simplicitate Dei.

1. INter divina adtributa, quasi omnium aliorum vinculum, habetur Dei *Immutabilitas*; quâ fit ut neque quidquam adquirat quod non habuerit, neque quidquam amittat umquam perfectionis. Summatim considerata ex ejus æternitate veluti manat. Quod enim semper fuit, ut causa ad existendum non indiguit: ita nec ulla causa ad ea omnia ab æterno possidenda, quæ haberi possunt, indiget. Quæ autem semel habet amittere non potest, quia ejusmodi Natura per se ipsa non abjiciet perfectiones suas, neque ab alia ulla iis spoliari poterit.

2. Immutabilitas autem Dei potest duplici ratione considerari, & primò quidem divinæ naturæ, secundò decretorum ejus respectu. Immutabilitas, quatenus naturam divinam respicit, in eo sita est ut nulla mutatio fiat in proprietatibus Dei; altera verò decretorum divinorum, ut ne voluntatem ex eventibus nec-opinis, aut ex mutatione consilii, quæ ex ignorantia aliqua oriatur, mutare Deus videatur.

3. Facilis est intellectu naturæ seu proprietatum divinarum immutabilitas, propter allatam rationem, §. 1. Sed difficilius est intelligere Dei consilia non mutari, si de iis ex actionibus ejus externis judicium feramus. Exempli causâ, Deus creationem mundi perficere

cere certo demum tempore statuit, mutationes tempestatum & omnium pænè rerum sublunarium varias esse voluit, quod primâ fronte consiliorum varietatem arguere videtur.

4. Verùm solvetur is nodus, si in animum revocemus mutationem in actionibus duplicis esse generis. Altera subitanea est, quando aliquid evenit, quod prævisum non fuerat; ut cùm Nauta velificationem, mutato subitò vento, commutat, & in alium tendit portum, quàm animo destinaverat. Hæc mutatio non cadit in Deum, quia nihil non prævisum ei contingit. Altera verò est antea jam concepta animo, quàm res eveniat quæ mutationem postulat, ut si quis prævideat aliquid futurum, quod exiget ut aliter tunc agat, quàm nunc agit. Hæc mutatio nihil habet, quod ipsum dedeceat Deum, qui semper in se idem manet, quamvis extrinsecùs aliter agat.

5. Deus ab omni æternitate, certo æternæ durationis articulo (quem solus intelligit, quippe qui solus totam æternitatem capit) mundum creare constituit apud se; quod decretum postea, statuto tempore, exsequutus est. Licèt actio hæc non sit coæterna decreto, tamen nihil naturæ divinæ præstantiæ detrahit, cùm non subiti effectus consilii, sed æterni decreti exsequutio sit. Similiter mutationes, quæ in rebus corporeis constanter eveniunt, quales sunt temporum vicissitudines, cùm, secundùm quasdam leges semel positas, semper fiant, nihil habent quod divinam lædat immutabilitatem.

6. At

6. At saltem, inquiet fortè quispiam, mutatur in eo Deus, quòd actionem edat certo tempore, quam alio non edit. Antequàm creasset mundum, eam actionem quâ mundum creavit non ediderat; neque post creatum mundum, umquam edidit. Sine dubio ea in re aliqua est mutatio, sed cùm actio sit tantùm effectus accidentalis proprietatum Rei agentis, mutationem nullam in proprietates ipsas inducit, si modò facultatem Rei agentis non exhauriat. Si Potentia Dei agendo exhauriretur, actiones ejus mutationem in divinam naturam inducerent; verùm nihil ejusmodi evenire intelligimus. Præterea, si Deus agendo diceretur aliquid adversum virtutibus fecisse, tunc actiones Dei in eo mutationem crearent Deo indignam; sed si semper agat convenienter virtutibus suis, mutatio, quæ in Deo fit, nullo modo immutabilitatem ejus minuit.

7. Magnam cum immutabilitate Dei adfinitatem habet ejus *Simplicitas*, quæ à Metaphysicis Compositioni opponitur. Hoc adtributo Deus est, ut putant, ita simplex, ut omnis prorsus Compositionis, cujuscumque tandem sit generis, sit expers. Non est compositus ex partibus divisibilibus, ut corpora, sic enim posset à Creaturis adfici & mutari. Non est compositus ex Essentia & Existentia, sunt enim in Deo inseparabilia, cùm Deus essentialiter sit.

8. Sed Metaphysici præterea negant eum ex Genere & Differentia compositum esse, hoc est, quidquam esse in Deo, quod sit ei commune cum certo genere Entium; quoniam proprieta-

tes

tes ipsæ Creaturarum, quæ Deo insunt tamquam Causæ, in eo sunt sine defectibus, quibus in Creaturis laborant. Verùm cùm ejusmodi compositio sit Rationis, & abstractione merâ distinguatur Genus à Differentia; quamvis admitteretur in Deo, nullam labem ei adspergeret; non magis quàm abstractæ ejus adtributorum distinctiones.

9. Negant etiam Metaphysici Deum compositum esse, ex Subjecto, & Accidentibus. Verùm hîc adfirmant quod ex eorum principiis intelligi non potest; si enim in Deo sunt volitiones variæ, quarum efficaciâ varia sint ejus opera effecta, quæ non fieri, si voluisset, poterant, seu quæ liberè à Deo facta sunt; non potest negari quin in Deo sint accidentia. Illæ enim volitiones cùm, secundùm Metaphysicos, liberæ sint, potuissent in Deo non esse; & reverâ ubi res, quam voluit Deus, peracta est, non sunt ampliùs.

10. Si in animum revocemus nos non aliter nosse Deum, quàm à posteriore, eisque tribuere, defectibus omnibus remotis, quæ in nobis sensimus esse, animadvertemus nos non aliter posse singulas ejus intelligere cogitationes, quàm ut nostras intelligimus. Igitur ut quasi accidentia intelliguntur à nobis, quæ singillatim cogitamus: ita cogitationes singulas Dei, quasi accidentia quædam consideramus. Hoc tantùm hîc faciendum superest, ut omnem hinc defectum removeamus. Nullus autem videtur Deo tribui, quamvis dicatur cogitationes habere accidentales, quas non habere posset; modò eæ cogitationes nihil complectantur, quod divinæ præ-

præstantiæ repugnet. Exempli causâ, si statuamus à Deo liberè creatum esse mundum, ita ut eum non creare potuerit, actio ea Dei, seu volitio creandi mundi potuit in Deo non esse; neque hac opinione, quidquam divinis perfectionibus detrahitur, quia creatio mundi nihil habet quod Deum dedeceat.

11. Qui negant Deum esse compositum ex Actu & Potentia in easdem difficultates se conjiciunt, quis enim possit intelligere in eo Ente nihil esse potentiâ, quod innumera facere potest, quæ non facit? Verùm hæc compositio est tantùm abstractio Mentis, quâ posita nihil sequitur incommodi; modò ne ulla nova perfectio Deo accedere posse dicatur, quod per ejus immutabilitatem non licet.

CAPUT X.

De Unitate Dei.

1. POstquàm Deum esse ostendimus, variáque ejus adtributa physica lustravimus, unum superest considerandum; nempe, *Unitas* summæ illius Naturæ, cui reliquæ omnes ortum debent. Probavimus quidem antehac debere esse Causam æternam omnium rerum quæ cœperunt; sed nondum satis ex dictis, utrum dicere nos oporteat *Causam*, vel *Causas*, liquidum est.

2. Si expendamus argumenta, quibus æternitas Causæ alicujus ostenditur, nullum compe-

periemus esse, quod plurium Causarum æternarum suspicionem vel minimam moveat. Non possumus quidem, hoc in loco, in medium omnia ea argumenta proferre; sed unum, quo usi sumus Cap. I. hujus Sectionis, instar omnium erit. Diximus omnia, quæ initium habuerunt, ab alio fuisse procreata, quia nihil per se è nihilo emergit: unde collegimus oportere esse causam æternam, quæ Entibus non æternis initium dederit. Ut autem invictum habeatur hoc argumentum, satis est Causam ejusmodi unam esse, nec ullo modo Causarum æternarum postulatur multitudo. Ut enim aliquid quod non erat incipiat esse, unica Causa æterna, æquè ac plures, efficere potest.

3. Hoc cùm ita sit, Philosophi unum esse Deum hinc colligunt, quòd si essent plures Dii, sibi invicem contradicere possent, & mutuo sibi impedimento esse. Nam quamvis concedant plurium Causarum æternarum voluntates in eo consensuras, quod erit virtutibus ac perfectionibus earum consentaneum: attamen posset fieri ut in rebus indifferentibus, aut æquè bonis, dissentirent. Exempli causâ, sit aliquid quod liberè fiat ab una Causa, & aliud item quod altera æquè liberè efficiat, quæ sint inter se contraria; orirctur inde & dissensio & maxima omnium rerum perturbatio Si esset indifferens utrum Solem oporteat lineam æquinoctialem obliquè secare, aut parallelo motu eam sequi; posset fieri ut una Causa hoc vellet, altera verò illud. Quid autem tunc fieret? Alterutra invita cederet, alterâ inferior esset;

esset; utramque autem æqualem & æternam statuimus. Si neutra cederet, quis hujus pugnæ finis esset?

4. Certè in regimine hujusce nostri Vorticis, in quo Terra sedes nostra circumagitur, nihil occurrit quod plurium Causarum gubernationem vel minimùm sapiat. Omnia constanti ordine peraguntur, & inferiores Causæ mechanicæ semper eodem modo agunt, quod unius summæ regimen satis indicat. Si quis diceret unicuique Vortici, aut saltem parti certæ rerum Universitatis suum esse peculiarem Opificem & Deum, suæ adfirmationis rationem redderet oporteret. Deinde quî factum esset ut Causæ æternæ inter se ita mundum, aut ornandum, aut regendum divisissent?

5. Veterum Persarum *Philosophi hîc tamen intercedunt, quippe qui duo Principia alterum boni, alterum mali ponerent. Hoc vocabant *Arimanem*, illud *Oromazem*, dicebántque posterius causam omnium bonorum, similéque esse Luci; prius verò malorum omnium, & Tenebras referre. Ut hoc probarent, vitam hancce nostram bonis & malis mistam observari jubebant; quæ cùm uni Principio tribui non possint, neque enim unica Natura malefica ac benefica simul esse potest; ideò necessariò duo Principia rerum, bonum & malum, agnoscenda statuebant.

6. Fatemur quidem vitam hancce bonis & malis esse mistam, imò bona malis superari; sed nullo modo inde colligas esse duo Principia. Potest enim unum idémque Principium iis, qui-

* *Vide Thom. Stanlejum Hist. Phil. Orient. Lib.* 2. c. 6.

bus benefacit alioqui, mala quædam immittere; si mala ab animo nocendi cupido non proficiscantur, sed sint instar Pharmacorum, quibus morbos, in quos inciderent, aut antevertat, aut curet. Hoc autem ipsum hominibus usu venit, qui nisi malis coërcerentur, in extrema omnia se præcipites darent. Nisi essent morbi, qui non forent valetudinis abusus? Nisi calamitatibus frangerentur ferociores spiritus, quis secunda fortuna benè uteretur? Nisi mors hominum cœptis finem imponeret, quæ superbia esset potentiorum, quæ infirmiorum miseria? Igitur hæc aliáque id genus vitæ mala, propter quæ malum Principium oportere esse contendebant Persæ, corúmque discipuli *Manichæi*, tantùm abest ut quidquam simile suadeant, ut contrà hinc colligere liceat unicum esse beneficum Principium; à quo tam mala, quàm bona fluant, quæ fuit pia Veterum Hebræorum sententia.

§. 6. *Nisi malis coërcerentur*, &c.] Pulcrè hanc in rem *Lactantius*, Lib. de Opif. Dei, C. IV. *Si mors certa constituta esset ætati fieret homo insolentissimus, & humanitate omni careret. Nam ferè jura omnia humanitatis, quibus inter nos cohæremus, ex metu & conscientia fragilitatis oriuntur*, &c.

7. Ceterùm Unitas Causæ supremæ, ex qua omnes aliæ pendent, non obstat quin possint esse multæ inferiores; per quas, veluti per Ministros, aut Instrumenta, omnia regat atque administret Causarum omnium Causa. Atque hinc nata est Veterum Ethnicorum πολυθεότης, qui licèt multos inferiores dicerent esse Deos, ta-

tamen eorum unicum Patrem esse agnoscebant; quod cùm ex Poëtis, tum ex Philosophis facilè probari posset, si res ad institutum nostrum pertineret. Satis erit observasse sapientissimos quosque Unitatem Dei agnovisse. Imò ipsi Persæ Unitatem boni Principii propugnabant, atque id potentius esse malo, quod tandem ab eo destruendum erat, dictitabant; quod eòdem pænè recidit, ac si unicum esse summum Principium statuissent.

§ 7. *Hinc nata* &c.] Rem copiosissimè demonstravit *Rod. Cudworthus* Systematis Intellectualis Cap. IV.

CAPUT XI.

De Proprietatibus Moralibus Dei.

1. CApite II. hujus Sectionis, breviter ostendimus quâ ratione proprietatum Dei moralium, quæ *Virtutes* vocantur, ideas effingamus. Nunc idem argumentum paullò diligentiùs pertractandum est.

2. Hominum Virtutes ad tria genera, pro numero objectorum in quæ feruntur, possunt revocari. Aliæ ad nos ipsos, aliæ ad proximum, aliæ ad Deum pertinent. Ad eas veluti manu deducimur, ipsâ rerum humanarum constitutione, cui si convenienter agamus, Virtutem colemus; quod paucis ostendemus, quia nisi hoc probè intellexerimus, idea divinarum Virtutum nobis fallax obversetur necesse est.

 3. Vir-

3. Virtutes quæ ad nos ipsos pertinent eò omnes spectant ne animum aut corpus inepta ad ea, ad quæ naturâ suâ comparata sunt, reddamus; adeóque culpâ nostrâ felicitate, quam consequi possumus, excidamus. Sic veritatis, & rerum utilium cognitionis amor, eò tendit ut nobis ad felicitatem via aperiatur. Sobrietas, quæ ad corpus pertinet potissimùm, colenda nobis est, ne & animum hebetiorem intemperantiâ, & corpus infirmum potûs aut cibi nimiâ copiâ reddamus; adeóque inepti rebus omnibus evadamus. Itaque convenienter naturæ nostræ agentes virtuti constanter adhæremus.

4. In Deo quidem non sunt virtutes, quæ ad vitanda mala, quorum naturâ suâ immunis est, spectent; sed primò Deus nos ita creavit, ut virtutes illæ sint nobis necessariò colendæ, si beati esse volumus. Unde colligimus eas virtutes Deo probari, quî enim Opifex non probaret quod ad suum opificium sartum tectum conservandum conducit? Illud autem Dei virtutibus hisce faventis judicium virtus habeatur, quæ nostris, quantùm per discrimen Dei & Creaturarum licet, respondet.

5. Deinde, quemadmodum convenienter naturæ nostræ agamus par est: ita Deus etiam convenienter naturæ suæ necessariò agit. Veritatem amat Deus necessariò, quia eam non potest ignorare, aut ex ejus cognitione ullum malum timere. Suæ naturæ repugnaret oporteret, ut mendacium amaret, aut probaret. Igitur in Deo, quemadmodum in nobis, virtus est Veritatis amor.

6. Vir-

6. Virtutes, quæ ad alios pertinent, hoc uno continentur præcepto: *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; quod si observetur, felix, eatenus saltem, hominum vita evadet; si violetur, ut passim fit, inde innumeræ fluent calamitates, quod nos experientia satis docet. Cùm ergo aliunde nobis constet à Deo benefico nos non esse hîc collocatos, eo animo ut miseri essemus, improbat sine dubio vitia, quæ Societatis humanæ felicitati adversantur; contra virtutibus, quibus promovetur, suffragatur. Atque hæc suffragatio loco omnium nostrarum virtutum, quæ proximum respiciunt, esse potest.

7. Hoc ut liquidiùs constet, duas virtutes, Justitiam & Beneficentiam expendemus. Justitia in eo sita est, ut unicuique suum tribuatur, & dividitur in *distributivam* & *vindicatricem*. Distributivâ utimur, quando unicuique reddimus, ac conservamus, quod legitimâ viâ adquisivit, aut possidet. Nisi ita invicem ageremus, vita tolerari non posset, ideóque necessitas ipsa vitæ eò nos deducit. Deus ergo, qui necessitatis hujus auctor est, eam virtutem necessitate magistrâ nos docet. Ipse quidem eam, prout in nobis est, non habet; quippe cujus omnia sunt, & qui proinde nemini proprium quidquam eripere potest. Alterum Justitiæ genus est vindicatrix, quæ licèt à privatis originem ducat, ejusmodi tamen est ut vetitum ejus, optimis de rationibus, sit iis exercitium. Sita est in pœnis, pro ratione peccatorum, irrogandis; quod à Magistratibus, jam constitutâ Societate, fieri debet. Ea virtus in Deo est, quippe qui summus hominum Judex naturâ suâ est.

 8. Cùm

8. Cùm oporteat homines ſe invicem omni ratione adjuvare, ut beatam hîc degant vitam, pro benignitate ejus qui nos hîc collocavit; qui, neglectis vitæ officiis, voluntati divinæ erga homines adverſatur, Deo ingratus eſt, adeóque ab eo jure ſuo beneficium nullum exſpectare poteſt. Si per totum vitæ curriculum pertinaciter injuſtitiæ adhæreat, quid jam ſupereſt, niſi ut Deus, qui Societatis humanæ auctor eſt & vindex, ei, quàm ingrata ſibi ſit injuſtitia, teſtatum dolore aliquo in eum immiſſo faciat? Sanè qui ſingulis Societatibus hîc in terris præſunt, injuſti haberentur, ſi earum perturbatores impunè perpetuò abire ſinerent. Hîc quidem aliqua eſt, circa moderationem pœnarum, & earumdem finem, difficultas; verùm eam non movebimus, ne inſtituti noſtri finibus egrediamur.

6. Si homines ita inter ſe viverent, ut nihil ſibi invicem tribuerent, niſi quod ſummo jure debitum eſſet, & ex legibus exigi poſſet, infeliciſſima eſſet vita. Virtus, quâ aliis ſine legis neceſſitate benefacimus, vocatur *Beneficentia*; éſtque in Deo multò præſtantior, quàm in hominibus. Etenim licèt legibus civilibus non ſanciatur Beneficentia, attamen ab ipſa humanarum rerum conſtitutione præſcribitur, ut modò oſtendimus, quia ſine ea vita vitalis non eſſet. At Deus nobis benefacit, non ſpe commodi quod à nobis exſpectet, ſed mero præſtantiſſimæ naturæ ſuæ impulſu, quæ eum Creaturis ſuis non benefacere, aut earum malum, quaſi ſcopum ſuum, ſibi proponere non patitur. Hanc autem virtutem in Deo eſſe ſcimus, ipſâ experientiâ,

ſine multis ratiocinationibus; ſed ejus demum ideam formamus, poſtquàm humanam Beneficentiam animo concepimus.

10. Similibus viis, ad aliarum divinarum virtutum cognitionem pervenimus. *Sanctus*, exempli causâ, dicitur, quia probat Sanctitatem hominum, nec contra eam agit, quam ipſe conſtituit; quid enim Deum, ut contraria ageret, cogere poſſet? *Verax* eſſe cenſetur, quia qui Societatem humanam ita conſtituit, ut veracitas ad eam tuendam neceſſaria ſit, ipſe legem à ſe poſitam non violabit; neque id faciet, quod ingratiſſimos ei homines mendaces reddit.

11. Tertia virtutum humanarum claſſis in Deum ipſum fertur. *Religionis* nomine omnes continentur, quæ ſita eſt primò in opinione de Deo, quâ ei nihil tam præſtante natura indignum tribuamus, quantùm per imbecillitatem noſtram licet; deinde in veneratione animi, ejúſque externa teſtificatione, quanta eſſe poteſt in eum qui omnes omnium rerum proprietates continet, & cui omnia ipſi debemus. Quoniam autem hæ virtutes ſunt inferioris erga ſuperiorem, cùm nemo ſit Deo ſuperior, in eo eſſe non poſſunt aliter, niſi quia eas in nobis probat. Si homines venerari, atque in pretio habere debemus, pro virtutibus, quibus præditi ſunt, & beneficiis quibus nos adfecerunt, quid Deo non debemus? Juſtitia erga homines prius poſtulat, quâ ſemel conſtitutâ, nulla ratio eſt quare ejus exercitium erga Deum ipſum ſummopere ei non placeret. Sunt tamen rationes, quæ ſuadeant Deum non tam propter ſe, quàm propter

nos, Religionem à nobis postulare; sed non sunt hujus loci, quippe quæ ad Theologiam, quam hîc non adtingemus, pertinent. Eadem de causa, missâ singularum Dei virtutum contemplatione, hîc finem huic nostræ Pneumatologiæ faciemus.

FINIS.

INDEX CAPITUM PNEUMATOLOGIÆ.

FINIS.

THO-

THOMÆ STANLEII HISTORIA PHILOSOPHIÆ ORIENTALIS.

Recensuit, ex Anglica Lingua in Latinam transtulit, Notisque in Oracula Chaldaïca & Indice Philologico auxit

JOANNES CLERICUS.

PHILOSOPHIÆ ORIENTALIS HISTORIA.

LIBER PRIMUS.

DE CHALDÆIS Prooemium.

APUD omnes, ne Græcorum quidem eruditiſſimis exceptis, Philoſophiam ab Oriente originem ducere, in confeſſo eſt. Nulla autem Orientalium Gentium antiquitate, cum *Chaldæis* & *Ægyptiis*, certare poterat. Ægyptii quidem Chaldæos coloniam eſſe Ægyptiacam, quæ ſibi eruditionem omnem deberet, dictitabant. Sed qui minùs ſtudio & præjudiciis laborabant *Magos*, (*a*) quorum diſciplinæ à Chaldæis profluxerant, *antiquiores Ægyptiis* adfirmabant; (*b*) Aſtronomiámque à Chaldæis profectam ad Ægyptios tranſiiſſe, unde ad Græcos pervenit; nec Chaldæos eſſe (*c*) *antiquiſſimum doctorum genus* diffitebantur.

Babyloniæ pars eſt *Chaldæa*, cujus incolæ dicebantur *Chaſdim* quaſi *Chuſdim*, à *Chuſo* (*d*) *Chami* filio. Verùm eorum Philoſophia, patriæ regionis finibus egreſſa, per Arabiam & Perſi-

 dem

(*a*) *Scriptor* τῦ Μαγικῦ *citati à Laërtio in Proœm.* (*b*) *Joſeph Ant. Lib.* 1. *c.* 9. (*c*) *Cicero l. de Divin.* (*d*) *Vide Indicem in voce* Chaldæi.

dem finitimas propagata eſt; unde factum ut trium earum Gentium eruditio CHALDAÏCÆ nomine inſigniretur. Itaque initium faciemus à Sapientia Chaldæorum, propriè ita à regione appellata, unde ceteræ Gentes ſuam duxerunt; & prior quidem pars noſtræ indagationis circa ipſos Sapientiæ Auctores, eorúmque Sectas, poſterior circa doctrinam verſabitur.

SECTIO PRIMA

De Chaldæis Philoſophis, eorúmque Sectis.

CAPUT I.

Chaldaïcæ Eruditionis Antiquitas.

QUAMVIS Chaldaïcæ Sapientiæ antiquitatem aliæ Gentes non æquarent, multùm tamen abeſt ut ejus ſit antiquitatis, quam ipſi ei tribuebant. Cùm (†) Alexander, victo Dario, Babylone potitus eſſet, quod incidit in annum Periodi Julianæ 4383. *Ariſtoteles*, diligens liberalium Artium promotor, rogavit *Calliſthenem*, ſororis ſuæ filium, qui Alexandri comes fuit, ſe doceret quam antiquitatem Chaldaïca Sapientia adtingere meritò cenſeri poſſet. Chaldæi contendebant ab eo tempore, quo primùm obſervare aſtra cœperant, ad expeditionem Alexandri, fluxiſſe 470000. annos. Sed multò recentiores erant obſervationes, quas, ut

(†) *Vide Joan. Marshami Chron. Can. initio Lib. IV.*

ut auctor eſt *Porphyrius*, à *Simplicio* (*a*) laudatus, Calliſthenes ad *Ariſtotelem* miſit; ad ea enim tempora adſervatæ fuerant obſervationes annorum dumtaxat 1903. quorum initium, retrogrediendo, ab anno allato Expeditionis Alexandri, incidit in annum Periodi Julianæ 2480. Atque hoc ipſum meritò poteſt in dubium revocari, nam nihil eſt in Chaldaïca Aſtronomia antiquius (*) *Æra Nabonaſſaris*, quæ incipit demum 3967. Periodi Julianæ anno. Ab hac Æra computant obſervationes ſuas, quâ ſi antiquiores ullas habuiſſent, vix fieri potuiſſet, ut earum non meminiſſet (*b*) *Ptolemæus*. Prima enim obſervationum, à Ptolemæo memoratarum, incidit in annum primum *Merodachi* Babyloniæ regis, qui legatos miſit ad Ezechiam, ut inquirerent de miraculo (*c*) quod in Horologio Achaſi contigerat; is autem annus eſt Æræ Nabonaſſareæ vigeſimus ſeptimus. Secunda (*d*) obſervatio eſt anni vigeſimi octavi; tertia 127. Nabonaſſaris, ſeu quinti *Nabopolaſſaris*. Hoc teſtimonium eſt omni exceptione majus, ſiquidem *Ptolemæus* rationes & regulas harumce obſervationum oſtendit. Quidquid præterea adfertur videtur Hypotheſis mera eſſe; ac ſi quidem ſtatuamus cyclum Canicularem, qui complectitur 1461. annos, hoc eſt, 1460. naturales, à *Porphyrio* (†) poſitum fuiſſe, ut conſtaret Hypotheſis, octodecim tantùm anni huic numero deeſſent.

CA-

(*a*) *In Lib. 2. de Cælo p. 123. l. 18.* (*) *Vide Indicem in voce* Nabonaſſar. (*b*) *Lib. IV. c. 6. 7.* (*c*) 2 Reg XX. 12 & 1. Paral. XXXI. 31. (*d*) Ptol. Lib V. p. 123. (†) *Vide indicem in voce* Sothica.

CAPUT II.

Varios fuisse Zoroastres.

INVENTIO Artium, apud Chaldæos, ab omnibus ZOROASTRI tribuitur. Ut omittam ineptam Etymologiam nominis ejus à Græcis vocibus ζῶον & ἄστρον deductam, *Dinon* (a) à Laërtio laudatus interpretatur ἀστροθύτην, quod *astrorum sacerdotem* vertunt. (b) *Athanas. Kircherus* hanc minùs probat Etymologiam, quippe constantem duabus Linguis, Græca, nimirum, voce ἄστρον, & Chaldaïca *Zor*. Ipse derivat à צורא *tsura*, figura, aut ציר *tsajar*, formo & סטר *star*, ignis occultus, quasi dictus fuisset *Tsairaster*, hoc est, fictor imaginum occulti ignis; vel *Tsuraster*, id est, imago arcanarum rerum, quod consentit cum Persico nomine *Zarast*. Verùm observarunt docti Viri *Ester*, in Persica Lingua, significare *stellam*. Priorem partem *Zor* (c) *Bockartus* deducit ab Hebraïco *schur*, contemplari; ideóque apud Laërtium, pro ἀστροθύτης, legit ἀστροθεάτης *contemplator Astrorum*. At reperire est particulam *Zor*, in compositione aliorum nominum, ut in *Zorobabel*, quod interpretamur *natum Babylone*; unde colligere licet *Zoroastrem* significare *filium Astrorum*.

Idem nomen alii efferunt *Zabradus*, alii *Nazaratas*, alii *Zares*, alii *Zaran*, alii *Zaratus*, alii *Zaradas*; quæ sunt tantùm variæ corruptiones Chal-

(a) *In Procem.* (b) *Obel. Pamph. Lib. I C. II.* §. 1. (c) *Geogr. Sacr. Lib. 4. c. 1.*

daïci vel Persici vocabuli, quod Græci plerumque efferunt *Zoroastres*.

Nemo negat fuisse varios Zoroastres, excepto uno *Goropio Becano*, qui, præter omnem verisimilitudinem, unicum fuisse contendit. Verùm in enumeratione eorum, quibus id nominis fuit, non est exigua inter Eruditos dissensio. Nituntur quidem potissimùm (d) *Arnobii* verbis, sed quæ non unâ ratione interpretantur: *Age nunc veniat quis super igneam Zonam Magus, interiore ab orbe, Zoroastres, Hermippo ut adsentiamur auctori. Bactrianus & ille conveniat, cujus Ctesias res gestas historiarum exponit in primo; Armenius, Hostanis nepos; & familiaris Pamphylius Cyri.* (e) *Patricius*, (f) *Naudæus*, (g) *Kircherus* alíque existimant memorari ab *Arnobio* quatuor Zoroastres, primum Chaldæum; secundum Bactrianum; tertium Pamphylium, alio nomine *Erum*; quartum Armenium, filium, ut vult *Kircherus*, Hostanis. Eadem verba (h) *Claud. Salmasius* ita legit & distinguit: *Age nunc veniat, quæso, per igneam zonam Magus, interiore ab orbe Zoroastres, Hermippo ut adsentiamur auctori, Bactrianus. Et ille conveniat, cujus Ctesias res gestas historiarum exponit in primo, Armenius Hostanis nepos; & familiaris Pamphilus Cyri.* Itaque secundùm *Salmasium*, tres fuere dumtaxat Zoroastres; primus, secundùm quosdam, ex interiore Libya, vel Æthiopia τῆς κεκαυμένης vicina, aut, si *Hermippo* fides habeatur, *Bactrianus*; alter Armenius nepos Hostanis, cujus

(d) *Cont. Gent. Lib. I.* (e) *Mag. Phil.* (f) *Apol. Mag.* (g) *Obel. Pamphil.* (h) *Exercit. Plin. pag. 355. nova. Ed.*

jus res geſtas ſcripſit *Cteſias*; tertius, Pamphilus nomine, amicus Cyri. *Urſinus* (*i*) ex eadem lectione verborum colligit ab *Arnobio* duos tantum memorari, ac manifeſtò explodi Bactrianum *Hermippi* Zoroaſtrem; *Cteſiam* autem, dum confutat fabuloſam hiſtoriam Eudoxi, probare Zoroaſtrem vixiſſe tempore Cyri. Sed verba *Arnobii* ea mutatione indigere non videntur, quod manifeſtius fiet; ſi ſingillatim recenſeamus eos, quibus impoſitum fuit nomen Zoroaſtris.

Primus fuit Chaldæus, *Aſſyrius* etiam *Suidæ* (*k*) dictus, à quo & narratur fulmine percuſſus interiiſſe. Fortaſſe eò reſpicit *Arnobius*, vel ad eam Hiſtoriam, quam refert *Dion Chryſoſtomus*, (*l*) ubi Zoroaſter Perſa (confunditur enim cum altero) dicitur ex ignito monte, ad populum veniſſe. Vel etiam per *igneam zonam* intelligit ſedem Numinum Zonis addictorum, quæ eſt, ſecundùm Chaldaïcam doctrinam, ſupra Empyreum, vel corporeum cœlum. Nuſquam enim reperio Zoroaſtrem Æthiopem habitum fuiſſe, aut ex interiore Libya, ut explicat *Salmaſius*. Arnobius *Hermippum* auctorem laudat, qui, teſte *Plinio*, (*m*) *vicies centum millia verſuum à Zoroaſtre condita, indicibus quoque voluminum ejus poſitis, explanavit.*

Secundus fuit Bactrianus; quem Bactrianæ Regem, Nino æqualem, ab eóque victum & interfectum memorat *Juſtinus*, (*n*) qui & ſubjicit: *Primus dicitur* (nempe, Zoroaſtres) *artes magicas*

(i) *In Zoroaſtres* (k) *In Zoroaſtre.* (l) *In Orat. Boryſthen.* (m) *Lib. XXX. cap. 1.* (n) *Lib. I. initio.*

gicas inveniſſe, & mundi principia, ſiderúmque motus diligentiſſimè ſpectaſſe.

Arnobius (*o*) ait *inter Aſſyrios & Bactrianos, Nino quondam Zoroaſtréque ductoribus, non tantùm ferro dimicatum & viribus, verùm etiam magicis, & Chaldæorum ex reconditis diſciplinis.* Hujus etiam meminerat in primo libro *Cteſias*, ut apparet ex altero *Arnobii* loco ſuprà allato. Sex priores ejus operis libri complectebantur tantùm, (*p*) ut oſtendit *Photius*, Aſſyriacam Hiſtoriam, atque eventus qui res Perſicas anteceſſerant. Ideò non poſſumus adſentiri conjecturæ *Salmaſii*, qui citationem *Cteſiæ* Arnobianam refert ad *Hoſtanis* nepotem; cùm Hoſtanes, auctore (*q*) *Plinio*, ſub *Dario Hyſtaſpide*, vixerit. At *Diodorus* (*r*) Regem Bactrianæ, quem Ninus vicit, vocat *Oxyatrum*, & quidam MSS. Codd. Juſtini, quos vidit *Ligerius*, *Oxyatrem*, alii *Zeroaſtem*. Fortaſſe ſimilitudo nominum & συγχρονισμὸς (Chaldæus enim Zoroaſtres ſub Nino vixit, ut habet *Suidas*) effecere ut in unum confunderentur, & tribuerentur Bactriano quæ Chaldæi propria fuere; quoniam veriſimile non eſt Bactrianum inventorem fuiſſe earum Artium, quibus Chaldæus ei æqualis tantopere excelluit. *Joan. Elichmannus* adfirmat receptam eſſe apud Arabas & Perſas ſententiam, Zoroaſtrem non fuiſſe Regem Bactrianorum, ſed Magum, aut Prophetam; qui perſuaſerit eorum Regi inducere novam inter eos ſuperſtitionis formam, cujus reliquiæ etiamnum hodie ſuperſunt.

Ter-

(o) *Ibid.* (p) *Biblioth. Cod. 72.* (q) *Hiſt. Nat. Lib. XXX. cap. 1.* (r) *Bibl. II. pag. 66.*

Tertius, qui eo nomine à *Laërtio* insignitur, fuit *Persa*, *Clementi* Alexandrino *Medus*, *Suidæ Medo-Persa*, instituto Magorum, & Chaldaïcarum disciplinarum discendarum Persis auctor. Quidam hunc cum Chaldæo confundunt, & utrumque, ut *Kircherus*, (s) cum Chamo Noachi filio, non sine ingenti anachronismo. Neque enim comperimus vocem *Persa* usitatam ante tempora *Ezekielis* Prophetæ, neque nobilis ea Gens ante Cyrum fuit. Occasio hallucinationis videtur fuisse, quòd Zoroaster Persa à *Plinio*, *Laërtio*, atque aliis dicatur instituisse Magiam & Magos; quod aliter intelligi non debet, nisi quia eos in Perside primus instituit. Nam *Plutarchus* (t) agnoscit Zoroastrem, apud Chaldæos, Magos instituisse, ad quorum imitationem Persæ etiam suos habuerunt. Arabica quoque Historia (u) tradit Zaradussit non primum instituisse, sed reformasse Religionem Persarum & Magorum, qui divisi erant in plures sectas.

Quartus fuit *Pamphylius*, vulgo dictus *Er*, vel *Erus Armenius*. Hunc etiam Zoroastrem dictum testatur *Clemens* Alexandrinus (x) his verbis: *Idem* (Plato) *in X. Lib. de Repub. meminit Eri Armeni, qui est Zoroastres. Ipse quidem certè Zoroastres hæc scribit. Hæc scripsit Zoroastres Armenii filius, genere Pamphylius: in bello mortuus cùm essem, apud inferos à Diis edoctus sum.* Hunc Zoroastrem adfirmat Plato ad vitam rediisse, post mortem decem dierum, (y) quibus inter cadavera jacuerat; quod ex *Platone* repe-

(s) *Obel. Pamph. Lib. I. c. 2. Sect. 1.* (t) *De Isid. & Osiride.* (u) *Ab Erpenio edita.* (x) *Strom. Lib. V. p. 598. Edit. Franc.* (y) *Lib. I. cap. 8.*

repetunt *Valerius Maximus* & *Macrobius*. (z) Ad hunc procul dubio referenda sunt *Arnobii* postrema verba, quæ Interpretes adeò exercitos habuere; *Armenius Hostanis nepos, & familiaris Pamphylius Cyri.* Quidam conjiciunt hîc duos memorari Zoroastres, at ego malim hîc unum notari, & verba fortè corrupta ita restitui oportere & distingui existimem: *Armenius Hostanis nepos & familiaris: Pamphylius Erus*; ubi familiaris idem est ac γνώριμος *discipulus.*

Quintus est *Proconnesius*, *Plinio* memoratus: (a) *Diligentiores*, inquit, *paullò ante hunc ponunt Zoroastrem alium Proconnesium*; nempe, ante Hostanem. Hic Zoroaster videtur idem esse ac *Aristeas Proconnesius*, qui, secundùm (b) *Suidam*, vixit temporibus Cyri, ac Crœsi. Idem testatur hujus mentem, quotiescumque vellet, peregrinatam esse à corpore, atque in illud rediisse. Et *Herodotus* (c) quidem hujus portenti exemplum adfert non absimile historiæ Eri Armenii, quæ apud Platonem legitur: *Aristeam*, inquit, *aiunt, cùm nulli suæ civitatis esset inferior genere, ingressum in Proconneso, fullonicam, mortuum fuisse; fullonémque, occlusâ officinâ, abiisse denunciatum rem propinquis defuncti, dissipatóque jam per urbem rumore Aristeam esse vitâ functum, supervenisse sermoni de hac re disputantium quemdam Cyzicenum ex urbe Artacia profectum, qui diceret se fuisse congressum cum Aristea apud Cyzicum &c. Aristeam autem nec vivum apparuisse, nec mortuum, septimóque deinde anno, cùm in* Pro-

(z) *In som. Scip.* (a) *Lib. XXX. c. 1.* (b) *In Aristea.* (c) *Lib. IV. c. 14.*

Proconneso comparuisset, eos versus fuisse, qui nunc Arimaspei à Græcis dicuntur, iisque conditis rursus evanuisse. Eo poëmate describebatur Vita Beata, seu Respublica, ex ejus sententia, perfectissima; quod colligimus ex Clemente Alexandrino (*d*) *Hyperboreæ enim & Arimaspeæ civitates, campi Elisii sunt, Respublicæ justorum. Scimus autem Platonis quoque civitatem esse in cœlo, ut exemplar positam.* Hisce addi potest *sextus Zoroaster*, sic enim ab (*e*) *Apuleio* vocatur, qui Babylone vixit, quo tempore Pythagoras captivus à Cambyse eò deductus est. Idem scriptor eum vocat, *omnis divini arcanum antistitem*, eóque magistro præcipuè usum esse Pythagoram dicit. Videtur idem esse ac *Zabratus*, à quo *Diogenes* (*f*) adfirmat Pythagoram purgatum esse omnibus pristinæ vitæ sordibus, & edoctum quarum rerum probos expertes esse oporteret, uti & Physicam. Idem quoque erit *Nazaratas* Assyrius, quem *Alexander*, in libro de Pythagoricis Symbolis, adfirmat magistrum fuisse Pythagoræ. Hunc eumdem Suidas vocat *Zarem*, Cyrillus *Zaramem*, Plutarchus *Zaratam*.

Mirum videri non debet tot fuisse Zoroastres, tantámque confusionem apud Scriptores, qui de iis egerunt, nec eos satis distinxerunt, ortam; nam eximiorum Virorum, alicujúsque utilis humanæ vitæ inventi (*g*) auctorum nomine solent postea adpellari omnes, qui in eodem rerum genere eminent. Hoc ipsum peperit tot *Belos*, *Saturnos*, *Joves*, &c. unde natæ tot in eorum Historiis turbæ. Idem dicere est de Chaldæo Zoroastre,

(d) *Strom. Lib IV. in fine.* (e) *In Floridis.* (f) *Porphyr. Vit. Pythagora.* (g) *Vide Indicem in voce* Zoroastres.

roastre, qui cùm inventor fuerit Magicarum & Astronomicarum disciplinarum, causa fuit cur aliis, qui easdem disciplinas in alias regiones intulerunt; quod fecit, auctore *Plutarcho*, Zoroaster Persa imitatus Chaldæos; & similibus, qui iisdem artibus excelluere, quales fuerunt Bactrianus, Proconnesius, & Pamphylius, adtributum fuerit nomen Zoroastris.

CAPUT III.

De Chaldæo Zoroastre Chaldaïcæ Philosophiæ Auctore.

PRimus horum Zoroastrum Chaldæus, vel Assyrius, ab omnibus Artium & Scientiarum inter Chaldæos inventor fuisse prædicatur; sed de tempore quo vixit, summa est inter Eruditos dissensio.

Quidam adeò immaniter errant, ut confutatione sint indigni, qualis est *Eudoxus* (*a*) & qui scripsit opus Μαγικὸν inscriptum (*b*) quod *Aristoteli* vulgò tribui solet, qui adfirmant eum 5000. annos vixisse ante *Platonem*. In eamdem classem sunt compingendi *Hermippus*, *Hermodorus* Platonicus, *Plutarchus*, & eum sequutus *Gemistus Pletho*, qui eum 500. annis ante bellum Trojanum floruisse aiunt.

Alii existimant Zoroastrem eumdem esse cum *Chamo* Noachi filio; in qua sententia, ut omittam *Pseudo-Berosum Annii Viterbiensis*, fuere Di-

(a) *Laërt. in Proœm.* (b) *Sub ejus nomine à Plinio citatur* Lib. XXX. cap. 1.

Didymus Alexandrinus, *Agathias* Scholasticus, & *Abenephi*, quorum postremus: *Cham*, inquit, *erat filius Noachi: hic primus docuit idololatriam, & primus invexit magicas artes in mundum; ejus nomen est Zuraster; hic secundus est Adris, & perpetuus ignis.* Huc nonnulli referunt Rabbinicas fabulas (*c*) *à Chamo magicis artibus castratum patrem*: (*d*) *Noachum eâ ratione impeditum ne quartum generaret filium, maledixisse quarto filio Chami*: (*e*) *maledictionem illam* (eum futurum servum servorum) *complecti peregrinum cultum*; nempe, idololatriam: (*f*) *propterea posteros Chusi factos esse idololatras, quandoquidem Cham primus idola fecit, & invexit peregrinum cultum in mundum & docuit familiam suam colere ignem.*

Plerique seriùs eum vixisse putant, & *Epiphanius* quidem, tempore Nimrodi; quod consentit cum initio observationum, quas à *Callisthene* ad *Aristotelem* missas diximus; nam floruit Nimrodus circiter annis 1903, antequàm Babylon ab Alexandro caperetur, quò usque observationes illæ pertingebant.

Suidas vult eum æqualem fuisse Nino, Assyriæ Regi, *Eusebius* Semeramidi uxori Nini. Hic autem à Chronologis, ante 3447. Periodi Julianæ annum, vixisse statuitur.

Suidas alibi prodidit eum vixisse 500. annis, ante exscidium Trojæ; *Xanthus* 600. ante expeditionem Xerxis in Græciam. Troja autem, secundùm *Arundellianum marmor*, capta fuit 434. ante

(c) *R. Levi in Gen. & R. Samuel in fortalit. fidei.* (d) *Raschi in Gen.* (e) *Aben. Ezr. in Gen.* (f) *R. Hannasse in scuto fortium.*

ante primam Olympiadem. Xerxis expeditio incidit in primum annum 75 Olympiadis, hoc est, 4335. Periodi Julianæ. *Suidæ* ergo calculus incidit in 3030 Periodi ejusdem, *Xanthi* verò computatio in 3634, quæ mihi videtur Historiæ & veritati magis consentanea.

De natalibus, vita, ac morte Zoroastris pauca apud Veteres supersunt, eáque an de Chaldæo, an verò de Persa intelligenda incertum. *Plato* vocat eum (*g*) *Zoroastrem filium Oromazis.* Sed *Oromazes*, ut *Plutarchus* alíique ostenderunt, nomen fuit quod Zoroastres Persa ejúsque discipuli Deo tribuebant. Hinc colligas verba *Platonis* esse intelligenda de Mago Persa, qui propter inusitatam eruditionem figuratè, aut fabulosè dicebatur *Filius Dei*, aut boni Genii; quo honore adfecti sunt Pythagoras, Plato, alíique præstantissimi viri.

Plinius (*h*) scripsit Zoroastrem (quem intelligat non addit) *risisse eodem die quo genitus esset, atque eidem cerebrum ita palpitasse, ut impositam repelleret manum, futuræ præsagio scientiæ.* Zoroastres Assyrius, auctore *Suida*, *precatus est ut igne cœlesti consumtus obiret, & monuit Assyrios suum cinerem conservarent: sic enim illis regnum perpetuò mansurum*; quod *Cedrenus* de Persa Zoroastre prodidit.

Scripta Chaldæo adtributa memorantur (*i*) vicies centena millia versuum, quos indicibus & commentariis illustraverat *Hermippus*.

Oracula, quæ fortè partem aliquam antecedentium versuum complectebantur, & in quæ

Tom. II. I *Syria-*

(g) *In Alcibiad. I.* (h) Lib. VII. cap. 16. (i) *Plin.* Lib. XXX. cap. I.

Syrianus duodecim libros interpretationum ſcripſerat.

De Agricultura & Mechanicis. Plinius inde laudat rationem ſerendi, & ſcriptor *Geoponicorum* plurima experimenta naturalia. Verùm hæc erant ſpuria, aut ab alio Zoroaſtre ſcripta.

Revelationes, quæ etiam ſuppoſititiæ, fictæ, ut *Porphyrius* putabat, à quibuſdam Gnoſticis.

Addendus eſt, ab Arabibus laudatus, liber *de Magia*; item *de ſomniis* eorúmque interpretationibus, ſæpe à *Gelaldino* citatus, ſed poſteriorum temporum fœtus.

Quidam adſcribunt Chaldæo libros Perſæ Zoroaſtris, qua de re infrà agemus.

CAPUT IV.

De Belo, altero apud Chaldæos Scientiarum inventore.

QUIDAM adſcribunt inventionem Aſtronomiæ *Belo*, quo nomine duo viri inſignes fuere. Alter Tyrius fuit, alter Babylonius, qui Arabibus Regibus in regno Babylonico ſucceſſit, circa annum mundi 2682, ſecundùm calculum *Africani*; ob quas inventiones, Babylonii illi divinos honores detulere.

Durat adhuc ibi, ait Plinius, (*a*) *Jovis Beli Templum. Inventor hic fuit ſideralis ſcientiæ.*

Diodorus (*b*) verba faciens de Ægyptiis. „Plu-
„rimas etiam, inquit, ex Ægypto colonias in
„orbem terrarum ſparſas eſſe dicunt. Babylonem
„*Belus* Neptuni & Libyæ, ut creditur, filius
„coloniam deduxit; & delectâ apud Euphratem
„ſede, ſacerdotes, pro more Ægyptiorum, im-
„penſis & oneribus publicis exemtos inſtituit;
„quos Chaldæos Babylonii nominant, ὃς Βα-
„βυλώνιοι καλοῦσι Χαλδαίους. Hi obſervant aſtra;
„imitati Sacerdotes qui ſunt apud Ægyptios,
„Phyſicóſque & Aſtrologos, μιμούμενοι τοὺς παρ'
„Αἰγυπτίοις ἱερεῖς καὶ Φυσικοὺς, ἔτι δὲ Ἀστρολόγους.

At Belum *Neptuni* & *Libyæ* filium eſſe, id ex Græca Mythologia petitum eſt; eúmque coloniam ex Ægypto in Babyloniam duxiſſe fabuloſum. Nam Ægyptiis cum peregrinis, per longum tempus, nullum fuit commercium. Verùm Belum memoratarum diſciplinarum petitum fuiſſe oſtendit hac hiſtoriâ (*c*) *Ælianus*:
„Xerxes Darii filius, effoſſo vetuſti *Beli* monu-
„mento, vitream urnam reperit, ubi jacebat
„in oleo cadaver. Nec tamen plena erat urna,
„vacuúmque è ſummis labris ferè palmæ ſpa-
„tium habebat. Adjacebat urnæ columna exi-
„gua, in qua ſcriptum erat eum, qui ſepul-
„crum aperuiſſet, neque repleſſet urnam, malè
„habiturum. Quo lecto, Xerxes expavit, &
„oleum celerrimè juſſit infundi; ſed ne ſic qui-
„dem impleta fuit. Juſſit iterum infundi; &
„cùm non impleretur, effuſo oleo fruſtra amiſſo,
„deſtitit; clauſóque monumento, mœſtus abiit.
„Neque verò eum fefellerunt quæ columna
„prædixerat. Cùm enim coëgiſſet exercitum
„ſeptuaginta myriadum hominum contra Græ-
„cos, malè mulctatus eſt; deinde redux tur-
„piſſi-

(*a*) *Hiſt. Nat.* Lib. VI. cap. 26.
(*b*) Lib. I. pag. 24. *Ed. Wechel.*
(*c*) *Var. Hiſt.* Lib. XIII. cap. 3.

„pissimè periit, noctu in lecto à filio interfectus.

Huic Belo Semiramis filia (*d*) Templum mediâ Babylone exstruxit; quod summæ erat altitudinis, & in quo Chaldæos, siderum illic contemplationi vacantes, ortus & occasus accuratè notasse memoriæ proditum est.

(d) *Diod.* Lib. II. p. 69.

CAPUT V.

Alii Chaldæi Philosophi.

ZOROASTRI ortum debuerunt Chaldæi Magi & Philosophi, inter quos *Plinius* (*a*) recenset *Azonacen*, Magistrum Zoroastris, sine dubio recentioris alicujus, cùm plurimi ita vocati fuerint, ut ostendimus. Idem scriptor meminit veterum Magorum, *Marmaridii Babylonii*, & *Zarmocenidæ Assyrii*, qui *soli cognominantur*, & *quorum nulla exstant monumenta.*

His addendus ex Suida *Zoromasdres*, qui Mathematica & Physica scripsit; & *Teucer* Babylonius, priscus scriptor, qui de Decanis egerat.

Mathematici etiam, teste Strabone, (*b*) quosdam memorabant, ut *Cidenam*, *Naburianum*, *Sudinum*, *Seleucum Seleuciensem*, aliósque eximios viros.

(a) Lib. XXX. cap. I.
(b) Lib. XVI. p. 509. *Ed. Cas. Gen.*

CA-

CAPUT VI.

De Beroso, qui primus invexit Chaldaïcas disciplinas in Græciam.

POST hosce floruit *Berosus*, vel ut à Græcis vocatur Βήρωσος, cujus nomen (*a*) quidam interpretantur *filium Hoseæ*; etenim ex *Elia*, apud Chaldæos, ביר idem esse ac בר apud Syros liquet. Ita dicunt *Bar-ptolemæum*, *Bar-timæum*; & hic noster à *Gorionide* aliísque Rabbinis בר הושע *Bar-Hosea* vocatur. Arabes, ut ex *Abenephi* aliísque constat, *Barasa* appellant.

(*b*) *Casparus Barthius* ait quosdam eum æqualem Mosi facere, quod meritò ut absurdum rejicit. *Claudius Verderius*, in sua *Anniani Berosi* Censura, adfirmat eum vixisse paullò ante Alexandri Macedonis tempora, quâ auctoritate fretus mihi non constat. *Tatianus*, in Oratione adversùs Græcos, Alexandro æqualem fuisse ait; verùm idem testatur à Beroso Historiam à se conscriptam dicatam ei Antiocho, qui tertius ab Alexandro fuit. At dubia est hæc lectio, cùm (*c*) *Eusebius* eum Tatiani locum his verbis laudet: * *Berosus vir Babylonius idémque Beli, quod illorum numen erat, Sacerdos, qui Alexandri vivebat temporibus, in ea, quam tribus libris Antiocho post Seleucum tertio* (τῷ μετὰ

 Σελευ-

(a) *Jos. Scal. in Euseb.*
(b) *Ex Voss. de Hist. Græc.* Lib. I. cap. 13.
(c) *Præp.* Lib. X. cap. 11.
* *Vide Indicem in voce* Berosus.

Σέλευκον τρίτῳ) *ſcripſit, Chaldæorum hiſtoria*, &c. In ipſo textu *Tatiani* eſt ἀντὶ τοῦ μετὰ Σέλευκον, μετ' αὐτὸν, quæ lectio magis conſentanea Hiſtoriæ videtur. Alexandro proximè ſucceſſit *Seleucus Nicator*, huic *Antiochus Soter*, cui *Antiochus Deus*, regnum auſpicatus uno & ſexaginta annis poſt Alexandri mortem. Jam autem fieri poteſt ut Beroſus, eo tempore quo Alexander Babylonem cepit, natus eſſet triginta annos, aut aliquantò pauciores, & nonagenarius aut paullò junior Hiſtoriam ſuam Antiocho Deo dicaverit. Fortè etiam *Antiochus poſt Alexandrum tertius* eſſe queat, apud *Tatianum*, Antiochus *Soter*, ſi ipſum Alexandrum, ſcilicet, numeres, poſt quem Seleucus ſecundus erit, Antiochus Soter tertius, ad quem à morte Alexandri effluxere tantùm quadraginta quatuor anni. Hac etiam computatione admiſſâ, ferri poterit lectio *Euſebii*; primus enim erit Seleucus, ſecundus Antiochus Soter, tertius Antiochus Deus. Neque hoc pugnabit cum ea ratione, quâ *Geſnerus Tatiani* verba vertit: κατ' Ἀλέξανδρον γενόμενος, ut legitur in *Stephani* Euſebiana editione, vel, ut eſt apud ipſum Tatianum, κατ' Ἀλέξανδρον γεγονώς, *qui Alexandri ætate vixit*, quam verſionem ſecutus eſt (*d*) *Onuphrius Panvinius*. Sed verba hæc penſiculatiùs expendenti in mentem venit rectiùs verti, qui *Alexandri ætate natus eſt*. Sic ſanè tollitur omnis ſcrupulus. Quippe natus ſit Beroſus, biennio ante obitum Alexandri, fuerit hoc pacto tantùm annorum ſexaginta quatuor, cùm cœpit regnare Antiochus Deus, cui librum ſuum obtulit. Utcumque eſt,

(d) *Lib. de Sibyll.*

eſt, Beroſus Hiſtoriam ſuam emiſit temporibus *Ptolemæi Philadelphi*. Nam hic imperavit triginta octo annis, ac anno quidem ejus ſexto, regnare in Syria cœpit Antiochus Deus, quorum alterutri ſua nuncupavit Beroſus. Minimè verò adſentiendum *Conrado Geſnero*, qui, in notis ad *Tatianum*, per *Alexandrum* intelligi putat, non illum Philippi filium, cognomento *Magnum*; ſed eum, qui in Syriæ regno *Demetrio Soteri* ſucceſſit, ſucceſſorémque habuit *Demetrium Nicatorem*. Per *Antiochum* verò capit *Antiochum Sidetem*, qui poſt Demetrium Nicatorem regnavit. Hæc enim ſi vera eſſent, Beroſus toto ſæculo eſſet junior *Manethone*. Atqui *Manethos* floruit ſub Philadelpho, ut oſtendit alibi *Voſſius*, ex quo hæc hauſimus. Philadelphus obiit anno tertio Olympiadis CXXXIII; at Antiochus Sidetes Syriam invaſit, anno primo Olympiadis CLX. Quomodo tum demum vixiſſe Beroſus poteſt, qui paullò antiquior eſt ipſo Manethone? quod diſertim dicit *Georgius Syncellus*. Aliter etiam ætatem Beroſi adſtruimus. Nam *Plinius* (*e*) ſcripſit Beroſum prodere memoriam annorum CCCCLXXX, qui ſine dubio ſunt anni Nabonaſſaris. At caput Æræ Nabonaſſareæ ſurgit Olympiadis VIII. anno ſecundo; à quo tempore, ſi annos numeres CCCCLXXX, incidemus in extrema tempora Antiochi Soteris. Quare vel huic, vel filio hujus Antiocho Deo hiſtoriam ſuam dicaverit Beroſus. Hæc profectò de ætate Beroſi dubitare nos minimè ſinunt.

(e) *Lib. VI. cap 55.*

Meminere Berosi plurimi Veterum, eósque inter (*f*) *Vitruvius*, qui testatur eum *in insula & civitate Coo consedisse, ibique aperuisse disciplinam.* *Josephus* (*g*) memoriæ prodidit eum scripta Astronomica & Philosophica Chaldæorum intulisse Græciæ. *Ob divinas prædictiones ei ab Atheniensibus publicè in Gymnasio statuam, inauratâ linguâ, positam* auctor est (*h*) *Plinius.* Ejus etiam mentionem *Tertullianus* (*i*) & *Chronici Alexandrini* scriptor (*k*) injecere.

Condidit *Babylonica*, seu *Chaldaica*, tribus libris; promiscuè enim his nominibus utuntur Veteres. Babylonica quidem Berosi advocat (*l*) *Athenæus*; at Tatianus ait scripsisse *Chaldæorum historiam tribus libris.* Alexandrinus *Clemens* (*m*) citat Berosum *libro tertio Chaldaïcorum*, & alibi simpliciter ejus *Chaldaicas Historias.* *Agathias* (*n*) quoque contexta ab eo ait antiquissima Assyriæ & Medicæ Gentis, hisce verbis: *ut alibi Berosus Babylonius, & Athenocles & Symmachus retulerunt, qui* ἀρχαιότατα Ἀσσυρίων τε καὶ Μήδων *scripserunt.* Ex eo opere præclara fragmenta conservavit nobis *Josephus* Lib. I. contra *Apionem*, & Lib. V. *Antiquit. Jud.* Verùm suppotititius Berosus *Annii* vanus & nugax est, ac ejusdem farinæ ac sunt ejus *Megasthenes* & *Archilochus.* Multos comminiscitur Reges, qui nusquam memorantur; ac vix quidquam eorum invenias, apud hunc, quæ ex vero Beroso profert *Josephus.* Imò interdum pugnantia habet; ut,

(f) *Lib. IX. c. 9. & 7.* (g) *Cont. Apion. Lib. I.*
(h) *Lib. VII. c. 37.* (i) *Apol.* (k) *P. 48.*
(l) *Lib. XIV. Adm. ad Gent. p. 43.*
(m) *Strom. p. 329.* (n) *Lib. II. initio.*

ut quando ait Babylonem à Semiramide conditam esse; cùm *Josephus* dicat à Beroso scriptum fuisse, non esse eam à Semiramide ædificatam.

Filiam hujus Berosi memorat (*o*) *Justinus Martyr* Babylonicam Sibyllam, quæ *Cumis* vaticinata est; quod non potest intelligi de Cumana Sibylla, quæ vixit tempore *Tarquinii Prisci*; nam inter Tarquinium Priscum & primum bellum Punicum, cujus tempore Berosus erat, sunt anni CCXLV. Capiendum ergo est de aliqua recentiore Cumana Sibylla. Sanè varias Sibyllas Cumis vaticinatas ex libro *de Mirabilibus rebus auditu perceptis*, aliisque, dudum ostendit *Onuphrius Panvinius*, libro *de Sibyllis.*

Cùm ergo à Beroso primùm Chaldaïca doctrina in Græciam allata sit; is claudet Doctorum, sive Philosophorum Chaldæorum agmen.

CAPUT VII.

Eruditos præsertim Chaldæos *dictos fuisse.*

CHALDÆI disciplinas non tradebant aut propagabant, more Græcorum; apud quos qui Sapientiam publicè profitebantur, eâ quoslibet Auditores promiscuè imbuebant. Chaldæi intra certas familias se continebant, quæ id nominis peculiari jure obtinebant. Se totos studiis addicebant; & propriâ sede sibi concessâ, immunem publicorum onerum, vectiga-

I 5

(o) *In Paræn.*

ctigaliúmque vitam agebant. De hiſce capiendum quod *Diodorus* (*a*) ait de iis, quos Babylonii *Chaldæos* nuncupabant, quippe à Belo inſtituti publicorum omnium onerum expertes erant. Conſtitutam habitationem peculiarem in Babylonia Philoſophis indigenis, qui Chaldæi appellantur; * fuiſſe Chaldæorum nationem, & Babyloniæ regionem ab iis habitatam, proximam Arabibus & mari, quod Perſicum dicitur, auctor eſt (*b*) *Strabo.*

Hi fuere Chaldæi (*c*) qui, ut prodidit *Cicero*, *non ex artis ſed ex gentis vocabulo nominati ſunt.* Iidem etiam intelligendi videntur, quos alibi (*d*) dicit *in Syria cognitione aſtrorum, ſolleritiáque ingeniorum antecelluiſſe. Curtius*, ubi † deſcribit ſollemnem pompam eorum, qui Babylone Alexandro obviam proceſſere, dicit poſt Magos veniſſe *Chaldæos, non vates modò, ſed artifices Babyloniorum.* Quod quidam intelligunt de iis qui Aſtronomica inſtrumenta faciebant, ſed videtur *Curtius* duo indicare Chaldæorum genera; plebeios, nempe, opifices, & eruditos.

De hiſce quoque Chaldæis, quibus id nominis peculiariter tribuebatur, intelligendus *Laërtius* (*e*) ubi dicit *Perſis Magos, Babyloniis & Aſſyriis Chaldæos* Auctores ſapientiæ fuiſſe. Eodem etiam reſpexiſſe credendus *Heſychius*, qui Χαλδαίους interpretatur γένος Μάγων πάντα γινωσκόντον, *genus Magorum omnium* diſciplinarum *peritorum.*

CA-

(a) *Bib. Lib. II. p.* 81. (*) *Vide indicem in voce* Chaldæa duplex. (b) *Lib. XV. p.* 501. (c) *De Div. Lib. I. c.* 1. (d) *Ibid. c.* 41. † *Lib. V. c.* 1. *Vide vocem* Artifices *in Indice.* (e) *In Proœm.*

CAPUT VIII.

Quomodo Diſcipulos Chaldæi inſtituerint.

CHALDÆI ſuam eruditionem intra ſe continebant, traditionis πατροπαραδότου ope. „Hæc inquit, *Diodorus*, (*a*) non docent, uti „Græci qui hæc ſtudia tractant. A familia hæc „Philoſophia traditur, Filiúſque eam à Patre „accipit, ſolutus omnibus publicis muniis. „Quia parentibus utuntur magiſtris, pleniùs „omnia diſcunt, & iis quæ docentur majorem „habent fidem. Præterea dum à pueris ſtatim „diſciplinis innutriuntur, magnum ad Aſtrologiam habitum adquirunt; cùm propter ætatis „docilitatem, tum propter longitudinem temporis, per quod in diſcendo perdurant. Apud „Græcos verò plerique accedunt imparati, Philoſophiam ſerò adtingunt, atque aliquamdiu „operâ ei datâ, neceſſitatibus vitæ ſubtrahuntur. Pauci, qui Philoſophiam prorſus penetrant, quæſtus causâ diſciplinæ adhærent, novâſque de rebus magni momenti opiniones „inquirunt, neque majores ſuos ſequuntur. „Igitur Barbari, iiſdem ſemper inhærentes, firmiter ſingula percipiunt. At Græci ex arte „lucrum captantes novas condunt ſectas, & de „maximis theorematibus diſceptantes faciunt „ut diſcipuli dubitent, animíque eorum per totam vitam fluctuent, nec ulli rei prorſus adſentiri queant. Nam ſi quis maximè inſignes

I 6 „Phi-

(a) *Lib.* 2. *p.* 82.

„Philosophorum sectas diligenter expendat, plurimùm inter se discrepare, & in gravissimis sententiis sibi invicem adversari comperiet. †

CAPUT IX.

Sectæ Chaldæorum distinctæ, pro variis eorum sedibus.

QUEMADMODUM eruditionem apud Chaldæos professi à reliquo distinguebantur populo, peculiari *Chaldæorum* vocabulo è regione petito: sic & inter se distincti erant in sectas, nomen ducentes è variis sedibus, quas in ea regione obtinebant. *Plinius* (*a*) & *Strabo* (*b*) meminerunt *Hipparenorum* sic dictorum ab *Hippareno* urbe Mesopotamiæ: *Babyloniorum* à *Babylone*: *Orchenorum*, qui *Plinio tertia Chaldæorum doctrina* dicuntur, ab *Orchoë* Chaldææ oppido: *Borsippenorum* à *Borsippe*, alia Babyloniæ urbe Apollini & Dianæ sacra.

Quamvis *Diodorus* præferat Chaldæorum Philosophos Græcis, quòd priores, missâ novandi cupidine, in iisdem perseverarent doctrinis; inde tamen cave colligas universè eos inter se consensisse, sed tantùm unamquamque sectam constanter iisdem placitis adhæsisse, & rejectis omnibus novis opinionibus, intemeratam mansisse. Nam inter Sectas quidem plenus non fuit consensus, ut liquet ex *Strabone*, qui docet *plu-*

† *Vide Indicem in voce* Collegium. (a) *Lib. VI. c. 26.* (b) *Lib. XVI. p. 509. Ed. Genevens.*

plures eorum iisdem de rebus, ut in Sectarum fieri solet diversitate, aliter atque aliter statuisse; item *fuisse inter eos, qui è natalibus hominum eventura iis vaticinari se profiterentur*, † *at ceteris non probatos*. Hinc quoque (*c*) *Lucretius*:

Ut Babylonica Chaldæam doctrina refutans
Astrologorum artem contra convincere tendit.

CAPUT X.

Secta Chaldæorum secundùm varias Disciplinas distinctæ.

ALTERA aptior eruditorum Chaldæorum distributio è disciplinis, quas ptofitebantur, petita est. *Daniel* Propheta C. II, 2. ubi narrat à Nabuchodonosoro accersitos esse omnes Doctos, qui somnium ejus divinarent, præcipuos eorum quatuor appellationibus complectitur: *Hhartumim*, *Aschaphim*, *Mechaschephim*, & *Chaschdim*.

חרטמים *Hhartumim Abarbaneli* sunt *Magi rerum naturalium periti*, *Jachiadæ* verò *Magi qui theoreticam scientiam colebant*, quæ interpretatio origini vocis consentanea est. Neque enim derivatur à חרוים טומים *hherowjim toumim, ossa combusta*, ut quidam volunt, quòd Magi superstitiosos ritus ope ossium cadaverum perficerent, neque à חרט *Hheret* quod *stylum*, aut *cœlum* significat; quòd, ut apud Ægyptios, docti inter Chaldæos *Scribæ* dicerentur, Chaldaïca enim

 vos

† *Vide Indicem in voce* Genethliacus. (c) *Lib. V.*

vos eo ſenſu non ſumitur. Sed ortum ducit à Perſica voce חרד *charad* mutato *Daleth* in *Tet*, quæ ſignificat *cognoſcere*; unde *Elmacinus* pro hac Perſico-Chaldaïca utitur duabus Arabicis, *Alhhachamaon*, *walarraphaon*, ſapientes & periti. Igitur *Hhartumin* non erant, ut vulgò interpretantur, Magi, ſed potiùs qui cognoſcendæ rerum naturæ operam dederant; quæ contemplatio Theologiam, & (*) Phyſicam, ſeu cognitionem Dei, rerúmque naturalium complectitur.

אשפים *Aſchaphim* à *Jachiade* fuiſſe creduntur *Magi qui ſcientiam activam colebant*, prout ejus verba vertuntur à *Conſtantino l'Empereur*; qui tamen *Jachiadem* falli putat, & Aſchaphim potiùs idem eſſe ac *Souphoun* in Arabica lingua, *ſapientem ac pium*. Quod ſanè veriſimilius eſt, nam *Souphoun* optimè convenit iis, qui omnia theologicè, myſticè, atque allegoricè docebant. Derivatur à voce Arabica *Tſouph*, *lana*, ſeu quòd ejuſmodi Sapientum veſtes ſemper lanâ, numquam ſerico, conſtarent; vel quòd ea quæ ad amorem divinum pertinent velarent, conſpicuarum rerum figuris. Inde derivatur vox *Hatſeviph*, *myſtica Theologia*; & forte etiam ab Hebraïca radice *aſchaph* deducenda vox Græca σοφὸς, quo nomine primùm eruditi inter Græcos, qui poſtea Philoſophi vocabantur. *Aſchaphim* Danielis vulgò explicantur *Aſtrologi*, & vocem quidem *Aben-Eſra* deducit à נשף *neſcheph*, *crepuſculum*, *quòd eo tempore cœlum obſervarent*. Sed Aſtrologi deſignantur voce *Chaſchdim*, quæ poſtrema eſt. *Aſchaphim* Chaldæorum vi-

(*) *Vide Indicem in* Phyſicâ.

videntur potiùs eſſe Magi Perſarum, Sacerdotes, eorúmque rituum, quos magicos appellant, Magiſtri.

מכשפים *Mechaſchephim* propriè dicuntur *Revelatores*; nempe, abſconditarum rerum. Veriverbium petendum à כשף *chaſchapha*, quod etiamnum hodie apud Arabas revelare ſignificat. *Moſes Nachmanides*, *Abarbanel*, aliíque hoſce putant diabolicis artibus uſos, poſſétque adeò haud ineptè vox ea verti verbo *Sortiarii*, quo hodie ejuſmodi homines deſignamus.

כשדים *Chaſchdim*, ut antea oſtendimus, nomen fuit peculiariter eruditis Chaldæorum adtributum; & arctiore etiam ſenſu iis qui profitebantur Aſtrologiam, cui potiſſimùm addicti erant, & quâ præ ceteris excellebant. Hos *Strabo* Χαλδαίους ἀστρονομικοὺς vocat.

Præter quatuor hæc genera, quæ præcipua fuiſſe videntur, erant & alia, quæ memorantur & prohibentur à Moſe Deut. XVIII. 10. *Quoſem*, *megnonen*, *menahheſch*, *ſchober*, *ſchoel-ob*, *jidnoni*, *doreſch-el-hammethim*; quibus recitatis, *Moſes Maimonides* ſubjicit fuiſſe varia genera divinorum, à priſcis Chaldæis originem ducentium. *Jachiades* putat eſſe genera τ̃ Mechaſchephim. (*a*)

(a) *Vide Indicem in voce* Rabbinus.

LI-

LIBRI PRIMI

SECTIO SECUNDA.

Chaldaïca Doctrina.

EX quatuor Eruditorum, apud Chaldæos, generibus, quorum Daniel Propheta meminit, & de quibus modò egimus, quibus partibus doctrina constaret Chaldaïca colligi potest. *Hhartumim* divinis & naturalibus contemplationibus operam dabant: *Aschaphim* Religionum ritibus: *Mechaschephim* & *Chaschdim* divinationi, hi Astrologiæ ope, illi aliis artibus. Duos posteriores ordines *Diodorus* Astrologorum nomine complectitur, duos priores, nominibus Physicorum & Sacerdotum: ait enim eos *imitari Sacerdotes Ægyptios*, ϗ φυσικȣ̀ς ἔτι δὲ ἀςρολόγȣς.

Propterea de Chaldaïca acturi doctrina, primùm eorum *Theologiam* & *Physicen*, quibus incumbebant Hhartumim: deinde *Astrologiam*, aliásque divinandi artes, quæ exercebantur à Chaldæis & Mechaschephim: tertiò eorum *Theurgiam*: quartò *Deos*, quorum contemplatio & ritus ad Aschaphim pertinebant, lustrabimus.

Chaldaïca doctrina ante omnia contemplatur Naturas omnes divinas & naturales; priorúmque contemplatio Theologia est, posteriorum Physica.

Zo-

Zoroastres divisit omnes Naturas (*a*) in tres classes, æternas; alteras, quæ initium habuerunt fine cituræ; tertias, perituras. Duas priores contemplatur Theologia.

Qui Græcorum Theologiam accuratè expenderunt, ait (*b*) *Eusebius*, eos (*c*) fine dubio intelligens qui Zoroastrem sequebantur, *rem totam in quatuor genera partiti sunt, quippe ante omnia Deum primum secernentes, omnibus eum rebus præsidere, ante omnes esse, omniúmque Deum, parentem ac regem se se agnoscere profitentur; secundùm quem alterum Deorum genus, tertium Dæmonum, quartum denique Heroum adsignant*; vel, secundùm alios, Angelorum, Dæmonum, & Animorum.

Tertia classis Naturarum, quæ peritura, est Physices argumentum; omniáque materialia, in septem mundos divisa, unum empyreum, tres æthereos, tres corporeos, complectitur.

(a) *Pletho in Orac. pag.* 90. *Ed. Amstel.* 1688. (b) *Præp. Evang. Lib. IV. c.* 5. (c) *Vide Indicem in voce*, Græci.

CAPUT I.

De æterna Natura, sive Deo.

PRIMA classis Naturarum est æterna, secundùm Zoroastrem, & supremum continet Numen. Hoc ex modò allatis *Eusebii* verbis liquet, confirmatúrque oraculo à (*a*) *Porphyrio* laudato:

Μȣ̃νοι

(a) *Ap. Euseb. Præp.* Lib. IX. c. 10.

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ' Ἑβραῖοι
Αὐτογένεθλον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.

Chaldæis ſolis ſapientia ceſſit, (*) Hebræiſque,
Æternum caſto veneratis numen honore.

Hoc eſt unicum illud Principium, de quo ſcriptor *Explanationis brevis* dogmatum Chaldaïcorum: μίαν ἀρχὴν τῶν πάντων δοξάζουσι &c. *unicum arbitrantur rerum omnium Principium, idque profitentur unum eſſe & bonum.*

Deus, ut Pythagoras (*b*) à Magis, qui eum *Oromazen* (†) appellant, didicerat, *corpore ſimilis eſt luci, animo veritati.* Deum etiam *lucem* à Chaldæis dici, præter *Euſebii* teſtimonium, conſtat oraculis Zoroaſtris, ubi paſſim deſcribitur vocibus, φάος *lux*, αὐγαὶ *radii*, φέγγος *ſplendor*.

Eodem ſenſu, Deum vocabant *ignem*; nam cùm אור *Or* vel *Our*, Chaldaïcè ſignificet *lucem* & *ignem*, promiſcuè horum duorum vocabulorum ſignificata ſumebant. Inter plures alios, *Plato* (*c*) ubi dixit Deum cœpiſſe *componere corpus totum mundi, igne & terrâ*, ſignificat ſe *igne* intelligere *ſolem*; quem *ſplendidiſſimum & lucidiſſimum rerum omnium* vocat, quaſi lux & ignis idem ſint. Hoc quoque manifeſtum ex *Zoroaſtris* oraculis, ubi Deus paſſim πῦρ *ignis*, & πατρικὸν πῦρ *paternus ignis*, & ὕπατον πῦρ *ſupremus ignis*.

Hoc ſine dubio fundamento inædificatus cultus ignis apud veteres Chaldæos, à quibus ad Per-

(*) *Vide Indicem in voce* Hebræi. (b) *Porphyr. in vit. Pythag.* (†) *Vide Indicem in* Oromazes. (c) *In Timæo.*

ſas tranſierat; qua de re poſthac, ubi de horum Religione & Diis agemus.

CAPUT II.

Emanatio ignis, ſeu luminis à Deo.

CUm Deus, ut oſtendimus, ſit νοερὸν φῶς aut πῦρ, *in ſua intellectuali potentia non incluſit ſuum ignem* ἐν ἑῇ δυνάμει νοερᾷ οὐκ ἔκλεισεν ἴδιον πῦρ, ſed eum largitus eſt omnibus creaturis; & quidem ipſe atque ante omnia Primæ Menti, ut oracula docent; tum etiam æternis atque incorporeis Naturis aliis, ſub quibus continentur innumeri Dii, Angeli, boni Dæmones & Mentes hominum. Proximum è Deo effluvium eſt ὑπερκόσμιον φῶς (*a*) *ſupramundanum lumen*, infinitum, idémque incorporeum ac lucidum ſpatium, intellectualium Naturarum beata ſedes. Supramundanum autem lumen illuſtrat primum corporeum mundum; empyreum, nempe, ſeu igneum cœlum; quod, cùm proximè ſubjaceat incorporeæ luci, eſt omnium corporum altiſſimum, ſplendidiſſimum, ac rariſſimum. Empyreum cœlum diffunditur ad ætherem uſque, quod eſt corpus inferius, ignémque minùs ſincerum continet. Sed igneum tamen eſſe denſiſſimæ ejus partes, Sol ac ſtellæ, ſatis oſtendunt. Ab hoc æthere ignis tranſmittitur ad hunc ſublunarem ac materialem mundum; nam licèt materia quâ conſtat, non ſit lux, ſed tenebræ (quales ſunt corporei, ſeu mali Dæmones) attamen id ζωογόνον πῦρ vi-

(a) *Vide Indicem in* Lumen.

vivificus ignis, ut loquuntur Oracula, eam agitat, & lumine omnes ejus partes collustrat, dum per omnia diffunditur & ad centrum usque penetrat: ἄνωθεν διήκει ἐπὶ τὸ κατ᾽ ἄντικρυ, διὰ τοῦ κέντρου τῆς γῆς, *desuper permeat in oppositam partem, per centrum telluris.* Verùm hæc pleniùs describemus, ubi de singulis agemus.

CAPUT III.

De rebus æviternis & incorporeis.

SECUNDA seu media classis rerum, ex sententia Zoroastris, est quæ initium habuit, at carebit fine, qualia vulgò à Scholasticis *æviterna* dicuntur. Huc pertinent *Deorum genus*, quod sub Deo patre & rege collocatum testatur (*a*) *Eusebius*, & Mentes hominum. *Pletho*, & alter ille, qui compendio doctrinam Chaldaïcam tradidit, has Naturas hoc ordine collocant: (*) *Intelligibiles & intellectuales; Intellectuales fontes; Hyperarchii, vel Principia; Azoni Dii; Zonæi Dii; Angeli; Dæmones; Animi.* Ajebant Chaldæi hasce omnes naturas *lucem* esse, Dæmonas malos *tenebras*.

Huic medio generi Zoroastres præficiebat (*b*) Mithram, qui in Oraculis, (*) interprete *Psello*, vocatur *Mens.* Hic circa secundarium genus versatur.

(a) *Lib. IV. cap. 5. Præp.* (*) *Vide* Νοερὸς *&* Νοητὸς *in Indice.* (b) *Plutarchus in Lib. de Iside & Osiride.* (*) *Vide Indicem in* Mithra.

CA-

CAPUT IV.

De primo ordine æviternarum rerum.

PRIMO loco sunt tres ordines, (§) unus *intelligibilium* rerum, alter *intelligibilium* & *intellectualium*, tertius *intellectualium.* Primus horum trium (conjectore *Patricio*, nam *Pletho* hæc memorat quidem, sed non explicat) videtur esse quem intellectu dumtaxat adsequimur, quísque est summus. Medius est earum Naturarum, quæ intelliguntur & intelligunt. Τὰ μὲν ἐστι νοερὰ καὶ νοητὰ, ὅσα νοοῦντα νοεῖται, ait Zoroastres, *hæc sunt intellectualia & intelligibilia, quæcumque intelligentia intelliguntur.* Tertius ordo est earum, quæ tantùm intelligunt; quippe quæ sunt, seu essentiâ suâ, seu participatione, Intellectus. Hac distinctione, capimus supremum ordinem esse supra intellectum, quippe qui intelligitur à medio Mentium genere. Medius ordo, superioris naturæ particeps, est Mentium, quæ superiores & seipsas intelligunt. Postremus videtur esse Mentium, quæ non modò se ipsas, sed superiores etiam & inferiores intelligunt.

De primo horumce ordinum Anonymus scriptor Compendii de doctrina Chaldaïca, sic habet: *Deinde* (nempe, post unum & bonum) *colunt paternum quoddam fundum, ex tribus Triadibus compositum. Quælibet autem Trias habet patrem, potentiam & mentem. Psellus* paullò plenius: *Secundùm Unum, adfirmant paternam profunditatem compleri tribus Triadibus,* qua-

(§) *Vide Indicem in* Νοερὸς *&* Νοητός.

quarum unaquæque primum habet (*) *Patrem*, *deinde mediam* (a) *Potentiam*, & *tertiam* (b) *Mentem inter eas*, *quæ intra se claudit Triadem. Hæc vocantur etiam ab iis intelligibilia.*

Hæc triplex Trias eadem esse videtur, cujus meminit Zoroastres, qui *patrem* vocat eumdem qui ita à *Psello* appellatur: πάντα γὰρ ἐξετέλεσσε πατὴρ, *omnia perfecit Pater.* Vocat & πατρικὴν μονάδα *unitatem paternam.*

Secunda Natura, quæ à *Psello* vocatur *Potentia*, dicitur à *Zoroastre* δύναμις νοερὰ *intellectualis potentia*, & ἀλκὴ πατρὸς *vis patris*: item, *Dyas generata à Monade*, & *quæ apud eam sedet*, & *prima mens paterna.*

Tertium Triadis Principium, quod à *Psello* dicitur *Mens*, *secunda mens* Zoroastri est: πάντα γὰρ ἐξετέλεσσε πατὴρ καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ, ὃν πρῶτον κλήζεται πᾶν γένος ἀνδρῶν, *omnia enim perfecit Pater*, & *menti tradidit secundæ*, *quam primam vocat omne hominum genus.* Quemadmodum *Psellus* dicit ab hac Mente intra se Triadem ac paternam profunditatem claudi: *Zoroastres* ait eam εἶναι πέρας τοῦ πατρικοῦ βυθοῦ & πηγὴν τῶν νοερῶν, *finem esse paternæ profunditatis*, & *fontem intellectualium.* Item: (†) οὐ προῆλθεν ἀλλ' ἔμενεν ἐν τῷ πατρικῷ βυθῷ, *non processit*, *sed mansit in profunditate paterna.*

(*) *Vide Indicem in voce* Pater. (a) *Vide Indicem in* Potentia. (b) *Vide Indicem in* Mens. (†) *Vide indicem in voce* Mens.

CA-

CAPUT V.

Secundus ordo æviternarum rerum.

POst *hosce*, ait Psellus, *est alius ordo intelligibilium ac intellectualium. Hoc dividitur tripliciter*, *in Iyngas*, *Synoches* & *Teletarchas.* Cui adsentitur scriptor Compendii: *Tum sunt intelligibiles Iynges*; *secundùm quas sunt Synoches*, *Empyreus*, *Æthereus*, *Materialis*; *post Synoches sunt Teletarchæ.*

De primis ita loquuntur Oracula: νοούμεναι ἴυγγες πατρόθεν νοέουσι καὶ αὐταὶ, βουλαῖς ἀφθέγκτοισι κινούμεναι ὥστε νοῆσαι, *intellectæ Iynges à patre intelligunt* & *ipsæ*, *consiliis ineffabilibus motæ ut intelligant.* Psellus (*a*) vult esse *certas potentias secundùm paternam profunditatem*, *constantes tribus Triadibus*, quæ *secundùm oraculum*, *intelliguntur à paterna mente*, *quæ singularum causam in se continet.* Pletho: (*b*) *sunt intellectuales species à Patre perceptæ*, *quæ* & *ipsæ intelligunt*, *excitantes notiones ineffabilibus consiliis.* Eædem videntur esse Ideæ descriptæ in Oraculo *Zoroastris*, à v. 100. ad 119. Νοῦ πατρὸς ἐρροίζησε, & quæ sequuntur. His etiam verbis *Proclus*, postquàm ea protulit quasi oraculum Deorum, ait confirmari sententiam *Platonis* de ideis.

Secundi sunt Synoches numero tres, *Empyreus*, *Æthereus*, & *Materialis*, pro numero mundorum quibus præsunt. Videntur esse Mentes, quæ ab *Hecate* ducunt vivificum ignem, quem

(a) P. 108. *Ed. Amstel.* 1681. (b) P. 89. *Amstel. Ed.*

quem immittunt Empyreo, Æthereo ac Materiali mundis, cum quibus vitalem motum communicant. Vocantur in Oraculis Ἀνοχεῖς:

—— ἔχει κόσμος νοερὰς ἀνοχῆας ἀκαμπεῖς.

habet mundus intellectuales Anoches inflexos. Hæc *Psellus* vult esse excellentissima intelligibilium generum, & ex iis quæ ab Immortalibus in hoc cœlum demittuntur, quibus præesse intelligitur Deus à Patre secundus.

Postremi sunt *Teletarchæ*, qui in Oraculo Synochibus junguntur: οἱ τελετάρχαι συνείληπται τοῖς συνοχεῦσι, *Teletarchæ continentur sub Synochibus.*

Secundæ Triadis, quam hoc Capite exposuimus, sæpiùs meminerunt *Damascius & Proclus*, duplici nomine eam insignientes, *Intellectualium & intelligibilium*, νοερῶν καὶ νοητῶν.

CAPUT VI.

Æviternarum rerum tertius Ordo.

POSTREMUS ordo est rerum intellectualium. Psellus: *post medium ordinem est intellectualis habens unam Triadem paternam, constantem* (τῷ ἅπαξ ἐπέκεινα) *semel ulteriore, Hecate, &* (τῷ δὶς ἐπέκεινα) *bis ulteriore; alteram verò Triadem constantem tribus Amilictis*; ad *quos accedit Hypezocos. Hi sunt septem fontes.* Compendium Chaldaïcæ doctrinæ: *His succedunt fontani patres* (πηγαῖοι πατέρες) *qui dicuntur etiam Cosmagogi, quorum primus dicitur semel ulterior, post quem Hecate; deinde bis ulterior, post quem sunt tres Amilicti* (ἀμείλικτοι implacabiles) *& ultimus Hypezocos*, ὑπέζωκος succinctor.

Psellus, in Scholiis ad Oracula, versum 126. jam laudatum antecedente Cap. de hisce intelligit: (*a*) *Chaldæi*, inquit, *ponunt potentias in mundo, quas vocant Cosmagogos, quippe quæ mundum providis motionibus agunt. Has igitur potentias vocat Oraculum* ἀνοχῆας *sustentatores, quod mundum universum sustineant. Voce* ἀκαμπεῖς *designatur stabilis eorum potentia; & voce* ἀνοχεῖς *custodienda cura. Has autem potentias definiunt solam & indeclinabilem mundorum causam. Pletho* has interpretatur, ut Iyngas.

Amilictos & Hecaten, & Hypezocon memorant Oracula vers. 120. & seqq. *Amilicti*, auctore *Psello*, ita dicuntur, quod sint naturæ stabilis, neque versùs hæc inferiora conversæ, impediúntque ne Animi adfectuum illecebris demulceantur.

CAPUT VII.

Fontes & Principia.

PRÆTER hunc postremum Intellectualium ordinem, quos *Psellus* vocat *septem fontes*, (†) Compendium *fontanos patres*; ab hoc memorantur plurimi alii fontes: *Venerantur etiam fontanam Triadem fidei, veritatis & amoris. Aiunt etiam esse* (ἀρχικὸν) *principalem solem, à materiali fonte etiam Archangelicum, & fontem sensationis, & fontanum judicium & fulmineum* fon-

(a) p. 96. (†) *Vide Indicem in voce* Fontes.

fontem, *&* *fontem ſpeculorum*, *&* *fontem characterum inſidentem ignotis ſynthematibus*, *&* *fontanas altitudines Apollinis*, *Oſiridis* *&* *Hermæ. Aiunt quoque eſſe materiales fontes centrorum*, *&* *elementorum*; *ſomniorum Zonam*, *&* *fontanam animam.*

Poſt Fontes, ait *Pſellus*, *ſunt Hyperarchii.* Anonymus pleniùs: *poſt fontes dicunt eſſe principia*, *nam fontes ſunt magis principales* (ἀρχικώτεροι) *quàm principia.* Hæc nomina *fontium* & *principiorum* frequentia apud *Dionyſium Areopagitam* occurrunt; imò in tertia Triade *principia* collocat, poſt quæ Archangelos recenſet.

Principiorum autem animalia gignentium (verba ſunt Anonymi ſequentia) *ſummum vocatur Hecate*; *medium Anima principalis*; *fundus Virtus principalis*,

Hæc videtur eſſe Hecate, quam *Pſellus* ait creditam à Chaldæis fontem Angelorum, Dæmonum, Animarum & Naturarum. Hanc eamdem deſignat oraculum:

Λαιῆς ἐν λαγόσιν Ἑκάτης ἀρετῆς πέλε πηγή.

in ſiniſtris Hecates lateribus fons eſt virtutis &c. *Chaldæi*, ait (*a*) Pſellus, *Hecaten exiſtimant Deam*, *quæ medium ducit ordinem*, *&* *quæ veluti centrum tenet omnium Potentiarum. In dextris ejus partibus*, *collocant fontem animarum*; *in ſiniſtris*, *fontem bonorum. Et aiunt fontem quidem animarum paratum eſſe ad procreationes. Fons verò virtutum intra fines manet ſuæ eſſentiæ*, *éſtque quaſi virgo intacta. Eam quam habet firmitatem*

(*a*) pag. 98.

tatem *&* *immobilitatem ab Amilictis Potentiis deſumſit*, *éſtque virginali cingulo ornatus.* Quæ hîc à *Pſello* vocantur *fontes animarum* & *fontes virtutis* ab Anonymo ἀρχικὴ ψυχὴ καὶ ἀρχικὴ ἀρετὴ dicuntur.

CAPUT VIII.

Dii Azoni *&* *Zonæi.*

POST Hyperarchios, ex *Pſelli* ſententia, *ſunt Azoni. Apud illos*, ait Anonymus, *ſunt* *&* *Hecatæ* ἄζωνοι (ſine zona) *ut Chaldaïca* τελεκδότις, κωμὰς & ἐκκλυστική. *Dii ſine zona eis dicuntur* (†) *Sarapis*, *&* *Dionyſius*, *&* *Oſiridis catena*, *ut* *&* *Apollinis. Azoni autem vocantur*, *qui liberè exſerunt poteſtatem ſuam in zonis*, *ſuntque collocati ſupra conſpicuos Deos.* Hi Dii conſpicui ſunt Cœli & Planetæ, fortaſſe ejuſdem generis ac Mentes, à quibus ſphæras circumagi putant Peripatetici. Ubi hîc dicit Anonymus ἐνεξουσιάζειν ejuſmodi Naturas: ita *Dionyſius* ſecundam tertiæ Hierarchiæ vocat τὴν ἁγίων ἐξουσίαν.

Ζωναῖοι (quibus adtributa eſt zona) *ſequuntur*, ut ait *Pſellus. Hi ſunt*, Anonymo auctore, *qui zonas in cœlo non liberè* (lego ἀλύτως) *circumvolvunt*, *&* *quæ hîc ſunt adminiſtrant. Eſt enim apud eos genus Deorum Zonæum*, *cui adtributæ ſunt ſenſibilis mundi partes*, *&* *quod cingit diviſiones ſorte acceptas*, *circa materialem locum.*

Idem officium adſignat ſecundæ & tertiæ Hierarchiis *Dionyſius*.

 Ite-

(†) *Vide Indicem in hiſce Vocibus.*

Iterum Numinum zonis adnexorum, aut iisdem solutorum meminere *Damascius*, & *Proclus* in *Proœm. Parmenid.*

CAPUT IX.

De Angelis & immaterialibus Dæmonibus.

INFRA *Zonæos sunt Angeli*, secundùm *Psellum. Hostanes* ex Persarum Magis, qui Chaldæis placita sua debebant, dicitur à *Minutio Felice* docuisse (*a*) *Angelos venerationi veri Dei adsistere. Zoroastres* meminit *reductorum Angelorum, qui animos reducant ad ipsos, ex variis rebus.* (†)

Proximi sunt Dæmones, docente *Psello*, quorum alios esse credebant Chaldæi malos, alios bonos. Bonos dicebant esse lucem; malos tenebras. Bonos esse Dæmonas ratione colligere possumus. Oraculum:

Ἡ φύσις πείθει εἶναι τοὺς δαίμονας ἁγνοὺς,
Καὶ τὰ κακῆς ὕλης βλαστήματα χρηστὰ καὶ ἐσθλά.

Natura suadet esse Dæmonas puros, & malæ materiæ germina utilia & bona. Ad quem locum ita Pletho: (*b*) *Natura, sive naturalis ratio, persuadet esse Dæmonas puros, & omnia prorsus ex Deo, qui ipsum bonum est, manantia, utilia esse*, &c. *si autem materiæ malæ germina bona sunt, multò magis Dæmones qui tanto sunt illâ excellentiores, quòd sint naturæ rationalis, & naturæ corruptioni obnoxiæ impermisti.*

CA-

(a) *In Octavio.* (†) *Vide in voce* Ἀναγωγός.
(b) Pag. 86.

CAPUT X.

De Animis.

PSELLUS, in compendiaria descriptione Chaldaïcæ doctrinæ, *Animos* extremas æviternarum naturarum esse ait.

Magi, (*a*) atque ex eorum doctrina Pythagorici & Platonici, constituunt triplex formarum genus; unum quod penitus à materia secernatur, cujusmodi sunt Mentes supracœlestes; alterum quod à materia abjungi non possit, quòd essentiam per se subsistentem non habeat, sed à materia pendentem, quâ, naturæ corruptibilitate, solutâ, dissolvatur & pereat. Atque hoc genus totum rationis esse expers tradunt. Inter illa medium locant Animum ratione præditum, à Mentibus quidem supracœlestibus eâ in re diversum, quod perpetuò materiæ adsit; ab irrationali verò genere, quòd materiæ non conjunctus sit, sed contrà materiam sibi adjunctam habeat; & sit essentiæ peculiaris & vi suâ subsistentis, itémque indivisibilis, ut Mentes illæ supracœlestes; quibus etiam actiones quadamtenus adfines edat, iisdem quibus hæ studiis occupatus; omnium rerum, scilicet, quæ in natura sunt, ne excepto quidem summo Deo, cognitione & contemplatione, ac propterea corruptioni non obnoxius.

Animus, (*b*) cùm sit ignis immaterialis & incorporeus, & ab omnibus compositis, & materiali

(a) *Pletho in Orac.* (b) *Psell. p.* 105.

riali corpore diſtinctus, immortalis eſt. Nihil materiæ, aut caliginis particeps illi immiſtum eſt; multò minùs compoſitus eſt, ut in ea, ex quibus conſtitutus fuit, reſolvi queat.

Animus (*c*) habet eſſentiam *αὐτόγονον καὶ αὐτόζωον per ſe genitam & animatam.* Aliunde enim non movetur, nam ſi, ſecundùm Oraculum, ignis divini pars eſt & ignis lucidus atque paternæ mentis conceptus, perfectò forma eſt materiæ expers & per ſe ſubſiſtens. Sic enim eſt omnis divina natura, cujus pars eſt animus.

Animorum (*d*) humanorum duplicem ponunt cauſam fontanam, Paternam ſcilicet Mentem, & Animam fontanam. Prodit autem, ex illorum ſententia, particularis anima à fontana, pro Patris voluntate.

Jam autem (*e*) cùm ſint variæ ſedes, quarum una tota lucida eſt, altera tota tenebricoſa, aliæ tenebris & luce miſtæ; locus ſubjectus Lunæ undique tenebricoſus eſt; lunaris alternatim lucidus & obſcurus; qui ſupra Lunam eſt undequaque lucidus, adtribuitúrque animis.

Hinc (*f*) volunt hujus generis animos variis de cauſis dimitti in terram, ſeu propter *πτερορρύησιν, quòd eis defluxerint pennæ*; quibus verbis ſignificant abſceſſionem animi à primigenia perfectione; aut ut pareant voluntati Patris.

Animus (*g*) autem cum corpore æthereo, quaſi cum vehiculo, ſemper verſatur; atque hoc, continuo adtactu, participem immortalitatis facit. Eſt in animum quidem ſuâ naturâ, ſed

(c) *Summar. expoſ. p.* 110. *Ed. Amſtel.* 1688.
(d) *Ibid.* (e) *Ex Pſel. in Oracul. p.* 91. & *Pleth. p.* 81.
(f) *Summar.* Ibid. (g) *Pletho in Or. p.* 84.

ſed animatur ab anima irrationali, (quam ſapientes vocant *εἴδωλον*, *ſimulacrum* animæ rationalis) imaginationéque & ſenſu ornatum totum videt, audit, omni denique ſenſu viget, & ceteris hujuſmodi animæ irrationalibus facultatibus utitur.

Ita potiſſimâ hujus corporis vi, imaginandi facultate, animum rationalem cum toto tali corpore jugiter eſſe contendunt; tali verò corpore cum mortali aliquando humanum animum copulari, toto illo toti fœtûs in utero contenti ſpiritui vivifico, ob cognationem quamdam, implicito, cùm ea vis vivifica ſit ſpiritus.

Simulacrum animi (*h*) hoc eſt, ea pars quæ cùm ſit rationis expers, cum parte rationali eſt conjuncta & ab ejus vehiculo pendet, particeps eſt ſedis undequaque lucidæ, neque enim umquam animus deponit ſuum *vehiculum*, *ὄχημα*.

Animus à (*i*) ſede prorſus lucida in hoc corpus delapſus, ſi bene operam ſuam corpori accommodaverit, in eumdem rurſus locum redit; ſin malè, in ſedes has deteriores hinc ſe recipit, pro ratione eorum quæ in vita fecerit.

Ita Chaldæi (*k*) reſtituunt animos poſt mortem, prout ſe purificarunt, in omnibus mundi partibus; quoſdam etiam ultra mundum evehunt, *ὑπὲρ τὸν κόσμον ἀναβιβάζουσι.* (*l*)

(h) *Id. pag.* 80. (i) *Id. pag.* 81. (k) *Summ. pag.* 112.
(l) *Vide Indicem in voce* Reſurrectio.

CAPUT XI.

Supramundanum lumen.

OMNES hæ æviternæ & incorporeæ Naturæ sedem in supramundano lumine sortitæ sunt; quod lumen incorporeum est, supra altissimum corporeum mundum positum, atque inde superiora versùs in infinitum porrectum. *Proclus* à *Simplicio*, in hoc Zoroastris oraculum, citatus: Ἄρδην ἐμψυχοῦσα φάος, πῦρ, αἰθέρα, κόσμους, *affatim animans lucem, ignem, æthera, mundos. Proclus*, inquam, „ait hoc lumen esse supra septem „Mundos, ut Monas est ante vel supra Triadem „Empyrei, Ætherei, & Materialis mundorum. „Addit etiam primigenium hoc lumen esse Imaginem Paternæ profunditatis, ac propterea esse „supramundanum. Præterea hoc lumen, cùm „sit supramundanus sol, emittere fontes lucis; „& mysticos sermones docere esse inter res supramundanas, esse enim solarem mundum & „(†) Universale lumen, secundùm oracula „Chaldaïca.

Idem etiam ait „centrum totius mundi, quasi „unius considerati, esse in hoc lumine; nam si „Oracula materialis mundi centrum supra illum „ponunt in Æthere, eadem ratione adscendendo, adfirmandum centrum altissimi mundorum „in hoc lumine situm.

(†) *Vide Indicem in* Universales.

CA-

CAPUT XII.

De rebus Corruptioni obnoxiis & Corporeis.

TERTIUM & ultimum genus rerum, ex doctrina Zoroastris, est id quod ut incepit, ita etiam finem nanciscetur, cui præest *Arimanes*.

Sub hoc tertio genere continentur corporei mundi; Empyreus, qui proximè supramundano subjacet lumini; Æthereus, qui eum sequitur; Materialis denique omnium infimus. Ita enim disponuntur, in Oraculi modò allati verbis. Quod apparet etiam ex Oraculorum vers. 182. & seqq. Ἑπτὰ γὰρ &c. *Psellus* quomodo, secundùm Chaldæos, septem sint mundi ostensurus, ait ab iis numerari unum Empyreum eúmque primum; dein tres Æthereos; & tandem tres Materiales, nempe Orbes fixarum & erraticarum stellarum, ac Sublunarem regionem. Sed hæc enumeratio satis plena non est, etenim hîc mentio fit duorum tantùm Æthereorum mundorum, Orbis stellarum fixarum & Planetarum, & unius materialis sublunaris, ut observavit vir eruditus *Franc. Patricius*, qui proinde septem mundos ita recenset: 1. Empyreus: 2. Ætherei, nempe, Orbes fixarum, Planetarum, exceptâ Lunâ, & Lunæ: 3. Elementares, Aëreus, Aqueus & Terrestris. Sed fortè magis consentiret cum Oraculo, quod Lunam inter Planetas complectitur, & Aquam Terræ subjicit, & cum *Psello*, qui tres postremos

mos mundos materiales vocat, quicumque eos ita diſponeret:

7 *Mundi Corporei*	1 *Empyreus*	*Supremus Æther*
	3 *Ætherei*	*Sphæra ſtellar. fixar.*
		Orbis Planetarum.
	3 *Materiales*	*Aër.*
		Terra.
		Aqua.

Neque mirum videri debet tres poſtremos materiales vocari, nam Chaldæi materiam tenebricoſam eſſe, aut potiùs tenebras ipſas exiſtimabant. Empyreus verò & Ætherei mundi, qui, ut videbimus, luce vel igne conſtabant, non poterant eo ſenſu materiales dici, licèt corporei.

Empyreum ſeu primum, ut tradit *Pſellus*, tribuebant Menti, Æthereum Animæ, Materialem Naturæ.

CAPUT XIII.

Empyreus Mundus.

PRIMUS (a) corporeorum mundorum eſt *Empyreus*; quâ voce Chaldæi non intelligebant, ut Chriſtiani Theologi, Dei & beatorum Spirituum ſedem, quæ potiùs eadem eſt cum ſuprema Chaldæorum luce, ſed extimam corporei mundi Sphæram. Figura ejus rotunda eſt, ut habet Oraculum: τὸν οὐρανὸν κυρτῷ σχήματι περικλείσας *cœlum rotundâ figurâ circumcludens.* Eſt quoque

(a) *Summar.*

que *ſolidus Orbis*, ſeu *firmamentum*, nam eadem oracula vocant eum στερέωμα. Conſtat igne, unde nomen ducit; qui ignis, cùm proximè ſubjaceat ſupramundanæ & incorporeæ luci, omnium corporum tenuiſſimum ac rariſſimum eſt. Præ tenuitate facilè permeat ſubjectum ætherem, & ubi hoc pertranſiit, reliquos materiales mundos. „Hoc poteſt diſtinctiùs probari, ait *Pro-„clus*, traditione divinâ (*intelligit, nempe, Zoroa-„ſtrea oracula*) nam Empyreus permeat Æthe-„rem, Æther verò materialem mundum. Et „licèt omnes intellectuales Tetrades & Hebdo-„mades habeant fontanum Ordinem, ac proin-„de Empyreum Præſidem; attamen continen-„tur in mundis, quandoquidem omnes mundos „permeat Empyreus.

Nihilominùs Empyreus ipſe immotus eſt, ut docet *Simplicius*, Chaldaïcam doctrinam hac ſimilitudine diſtinctiùs interpretatus: „Animo „concipiamus duas Sphæras, quarum una plu-„rimis corporibus conſtet, ſíntque ambæ paris „craſſitiei, unâque in centro alterius collocatum, „& in immota luce motum; ſecundùm totam „extenſionem immotum, ut ſit ſimilis loco; „ſed motum partibus quibuſdam, ut ſit loco „minor.

 CA-

CAPUT XIV.

Ætherei Mundi.

POST Empyreum Mundum, Oraculum, *Æthereos* collocat, πῦρ, αἰθέρα, κόσμους. Confirmatur hoc à *Psello* & auctore Summarii, qui dicit secundùm Empyreum esse tres Æthereos mundos. Verùm ex tribus duos tantùm memorant, eosdémque inter materiales perperam ponunt: *Sphæram*, nempe, *Fixarum*, & *Sphæram Erraticarum*. Tertius, licèt non expressus, esse queat Æther inter Empyreum & Sphæram Fixarum porrectus.

Æther est ignis, ut ex ipso nomine apparet, (*a*) minùs quàm Empyreus subtilis, cùm Empyreus Æthera permeet. Tantæ tamen tenuitatis est, ut ipsos permeet materiales mundos.

Secundus Æthereus mundus est stellarum fixarum Sphæra, quæ Stellæ sunt densissimæ & compactissimæ partes ætherei ignis; qui est sensus, ut ingeniosè interpretatur *Patricius*, hujus Oraculi:

Ἔπηξε δὲ καὶ πολὺν ὅμιλον ἀστέρων ἀπλανῶν
Τὸ πῦρ πρὸς τὸ πῦρ ἀναγκάσας.

Fixitque multum cœtum astrorum inerrantium, ignem ad ignem cogens.

Tertius æthereus mundus est orbis Planetarum, qui continet Solem, Lunam, & quinque Pla-

(*a*) *Venit nempe à verbo* αἴθω *ardeo*.

netas, quæ ab Oraculis & *erratica animalia* & *ignes* vocantur. Ζώων πλανωμένων ὑφέστηκεν ἑπτάδα, *Animalia errantia constituit septem*, & rursus: Ἓξ αὐτοὺς ὑπέστησεν, ἕβδομον ἠελίου μεσεμβολήσας πῦρ, *sex eos creavit, septimum solis ignem medium jaculatus.*

CAPUT XV.

Materiales Mundi.

POSTREMI & infimi sunt Materiales Mundi, quos *Psellus*, & Summarii Scriptor tres esse aiunt; significantes sine dubio Aërem, Terram & Aquam, nam eo ordine ab Oraculo collocantur: Γῆν δ' ἐν μέσῳ τιθεὶς, ὕδωρ δ' ἐν γαίας κόλποις, Ἠέρα τ' ἄνωθεν τούτων: *Terram in medio posuit, aquam verò in sinu terræ, & aërem supra hæc.* Hic est postremus ordo Mundorum, de quo hæc Summarium Dogmatum Chaldaïcorum: *ultimus terrestris dicitur & lucis osor, qui locus est sub Luna, habens in se materiam, & qui vocatur* βυθὸς, *fundum.* Ex hisce verbis liquet, quâ de ratione Chaldæi sublunares mundos solos materiales vocitent, contrà verò Empyreum & Æthereos immateriales esse prædicent, quamvis corporeos: nempe, materiam (*) putant esse μισοφανῆ, tenebras & fundum Naturæ, adeóque ab Empyreo & Æthere planè diversam; quorum cùm ipsa substantia lux sit, agitur præterea ζωογόνῳ πυρὶ, quod ut antea ostendimus, ad centrum usque omnia permeat.

 Ad

(*) *Vide Indicem in voce* Materia.

Ad terram quod adtinet, *Diodorus Siculus* (a) teſtatur Chaldæos foviſſe peculiares opiniones, & dixiſſe eam eſſe σκαφοειδῆ καὶ κοίλην *inſtar ſcaphæ & concavam.* Addit etiam multa argumenta πιθανὰ, cùm de hac, tum de reliqua Univerſitate rerum ab iiſdem allata.

Pſellus præterea addit ſublunarem regionem aliquando ab illis vocari Ἅδην.

(a) *Lib. II. p. 83.*

CAPUT XVII.

De Materialibus Dæmonibus.

DÆMONUM, ut diximus, Chaldæi duo ſtatuebant genera, bonos & malos; bonos *lucem*, malos *tenebras* vocabant.

Priores ſunt iidem, quos *Hoſtanes* (a) dicebat *eſſe miniſtros & nuncios veri Dei, ejúſque venerationi adſiſtere:* poſteriores verò quos *terrenos, vagos, humanitatis inimicos* prodidit. De prioribus jam egimus; poſteriores *Pſellus*, in Dialogo *de Operatione Dæmonum*, multis deſcripſit, ex ore (†) *Marci* cujuſdam in *Meſopotamia* degentis, qui cùm Chaldæorum ritibus addictus fuiſſet, & eorum doctrinâ imbutus, Chriſtianiſmum amplexus erat. Quod narrat, cùm ex re ipſa, tum ex hominis patria, ſatis liquet Chaldaïcam eſſe Traditionem.

„Hi Dæmones ſunt variorum generum, cùm
„ad eorum formas, tum ad corpora quod adti-
„net; & tanto numero, uti & aër ſupra nos po-
ſitus

(a) *Ap. Minuc. Fel.* (†) *Vide Indicem* Marcus.

„ſitus & circumambiens iis refertus ſit. Iiſdem
„terræ ac maria, & abditiſſimi ſinus, occultiſſi-
„máque ſpelæa ſcatent.

„Sex ſunt eorum præcipua genera. (b) Pri-
„mum vocabatur *Leliurium*, † hoc eſt, διάπυρον
„igneum. Hoc autem per aërem, qui ſupra nos
„eſt, volitat; nam ex ſpatio quod circa Lunam
„eſt, quaſi ſacro, ut profana, omnia Dæmonia
„expulſa ſunt. Secundum eſt, quod per nobis
„contiguum aërem vagatur, ídque à multis pro-
„priè Aëreum vocatur: Tertium, terreſtre:
„Quartum, aqueum & marinum: Quintum,
„ſubterraneum: Sextum, lucifugum & (*) ter-
„ribile.

„Ceterùm omnia Dæmonum genera Dei odio
„flagrant, atque hominibus adverſantur; ſunt
„tamen alia aliis pejora. Nam aqueum, &
„ſubterraneum, atque lucifugum malo gauden-
„tia, & pernicioſa præ aliis ſunt. Siquidem hæc
„non illuſionibus & phantaſmatibus animos
„lædunt, ſed inſtar efferatiſſimarum belluarum
„irruentia in hominum perniciem properant.
„Aqueum quidem navigantes ſuffocat. Sub-
„terraneum autem & lucifugum, viſcerum, ſi
„ſinatur, penetralibus ſe ſe inſinuat, & in quoſ-
„cumque homines inciderit, eos occupat, ſuf-
„focat, comitialique morbo & phreneſi exagi-
„tat. Dæmones verò aërei & terreſtres arte
„mentes hominum ſubeunt & fallunt, atque ad
„abſonos quoſvis adfectus & illegitimos impel-
„lunt.

„Hæc

(b) *Ex Pſello. p. 63. Ed. nupera Kilonienſis.* in 12.
† *Vide Indicem, in hac voce.*
(*) Lego δυσάντητον, vide Indicem in hac voce.

„Hæc autem operantur, non quòd nobis im-„perent, sed quòd suggerant. Phantastici enim „nostrum spiritum subeuntes, quippe spiritus „& ipsi; nescio quos adfectuum voluptatúm-„que sermones insusurrant; non quòd voces „aërem ferientes & sonoras emittant, sed su-„surros quosdam, quibus verba sua submit-„tunt. Neque fieri non posse, ut sine voce lo-„quantur, videbitur, si reputemus ei, qui lo-„quitur, si sit eminus, elatiore vociferatione „opus esse; qui cominus, eum in audientis „aures vocem insusurrare. Quod si animæ quo-„que spiritum subire posset, nullo ei susurro fu-„turum opus; sed sermonem quemlibet, taci-„tâ quadam viâ, sine ullo strepitu, ad exci-„pientem perventurum; quod animis etiam „egressis è corporibus, qui inter se citra stre-„pitum colloquuntur, inesse aiunt. Eodem „prorsus modo, ipsi quoque Dæmones nobis-„cum clam confabulantur, ita ut ne sentiamus „quidem undenam bellum nobis ingruat. Nec „est, secundùm Chaldæos, quòd super hac re „quidquam dubitemus, si quod in aëre accidit „animadvertamus. Quemadmodum enim, so-„le lucente, aër varios colores & formas sumit, „atque in corpora eorum capacia transmittit, „ut in speculis videre est: sic etiam dæmonia „colores, & quascumque voluerint formas su-„mentia eas in animalem spiritum nostrum tra-„jiciunt. Eo pacto, multa nobis negotia fa-„cessunt, dum consilia nobis suggerunt, vo-„luptatum memoriam refricant, & adfectuum „idola, tam vigilantibus quàm dormientibus, „excitant. Imo etiam membra ventri subjecta „ti-

„titillationibus demulcent, atque in vesanos & „illegitimos amores succendunt, potissimùm si „calores humidos nobis à natura insitos coope-„ratores habeant.

„Reliqua Dæmoniorum genera nullam artem „norunt, neque fallere sciunt; sunt tamen mo-„lesta, si excipiantur, & instar (*) *Charonei* spi-„ritûs lædunt. Quemadmodum enim ille fer-„tur corrumpere quidquid admotum fuerit, sive „sit quadrupes, sive homo, sive volucris: eo-„dem prorsus modo terribilia hæc Dæmonia gra-„vibus damnis eos adficiunt, in quoscumque tan-„dem inciderint; quippe quæ corporibus & ani-„mis noceant, habitúsque naturales evertant, „nonnumquam etiam igne, aquâ, & præcipitio „non solùm homines, verùm etiam animalia „nonnulla perimant.

„In animalia autem impetum faciunt, non quia „ea ullo odio (†) prosequuntur, aut eis nocere „volunt, sed quia mirum in modum animali ca-„lore capiuntur. Nam cùm in profundissimis lo-„cis versentur, quæ admodum frigida & sicca „sunt, fit ut multum sibi frigoris inde contrahant; „quo quidem contracti atque adflicti, humidum „& animalem calorem adpetunt; quo ut potian-„tur, in bruta insiliunt, & in balnea, (‡) con-„caváque loca penetrant. Ignis enim & solis calo-„rem, quia urit & exsiccat, aversantur; anima-„lium verò, quippe moderatum & humidum, „libenter amplexantur, maximè hominum, in „quos infusi, dici non potest quantum tumultum „exci-

(*) *Vide Indicem in hac voce.* (†) *Vide Indicem in voce* Bruta. (‡) *Vide Indicem in voce* Cobalus.

„excitent. Poris, nimirum, quibus ſpiritus ani-„males inhærent, oppletis, ſpiritúque, ob corpo-„rum quibus præditi ſunt craſſitiem, velut in an-„guſtias redacto & compreſſo; hinc fit ut corpo-„ra concutiantur, eorúmque præcipuè faculta-„tes malè adficiantur, motúſque obtuſiores fiant „& hebetiores.

„Quod ſi Dæmon irruens ex ſubterraneorum „genere ſit, hominem inſeſſum concutit & diſ-„torquet, atque per eum loquitur, ſpiritu pa-„tientis utens, non ſecus atque proprio quo-„dam inſtrumento. Si quis autem eorum, qui „Lucifugi dicuntur, clam irrepſerit, remiſſio-„nem membrorum inducit, vocem reprimit, „& eum quem invaſit mortuo ſimilem reddit. „Hoc enim genus, quippe dæmonum extre-„mum, magis terrenum eſt, ſumméque frigi-„dum & ſiccum, & quemcumque invaſerit, „omnem ejus animalem facultatem hebetat & „obtundit. Quia verò rationis expers eſt, & „omni intellectuali contemplatione deſtitutum, „imaginationéque rationis experte agitur, ut „animalium efferatiſſima, increpationem mini-„mè timet, eáque de cauſa meritò mutum & ſur-„dum appellatur. Nec fieri poteſt, uteorum, „qui ab eo correpti ſunt, ullus alio modo libe-„retur, quàm divinâ potentiâ, quæ oratione & „jejunio adeſt.

„Medicos niti nobis perſuadere ejuſmodi adfe-„ctiones non à Dæmonibus profluere, ſed potiùs „ab humoribus, articulis, & ſpiritibus malè ad-„fectis, adeóque poſſe curari pharmacis & diæ-„tis, non autem incantationibus & expiationi-„bus; Medicos, inquam, niti hoc nobis per-„ſua-

„ſuadere mirum non eſt, quoniam præter ea quæ „ſenſu percipiuntur nihil norunt, ſed in ſola cor-„pora inclinati ſunt. Morbi quidem plurimi à ma-„lè adfectis humoribus meritò oriri cenſentur; „Enthuſiaſmos verò, inſanias, & catochas, qui-„bus qui correptus eſt nihil quidquam agere po-„teſt, neque ſermone, neque phantaſiâ, neque „ſenſu, ſed ab alio quodam agitatur, eáque lo-„quitur quæ ignorat, futurúmque quidpiam in-„terdum prædicit, quâ ratione motus materiæ vi-„tiatos dicamus?

„Ceterùm (c) nullum Dæmoniorum genus „maſculum aut fœmineum ſuâ naturâ eſt, nam „ejuſmodi adfectiones compoſitorum ſunt cor-„porum. Atqui Dæmonia ſimplicia ſunt corpo-„ra, quæ cùm ductilia ſint, & facilè inflectantur, „eò fit ut omni figuræ ſuſcipiendæ apta ſint. „Quemadmodum enim nubes videre eſt, nunc „hominum, nunc urſorum, nunc etiam draco-„num, vel quorumlibet aliorum figuram refe-„rentes; ita & dæmoniaca corpora. Jam verò „nebulæ, ab externis ventis impulſæ, varias fi-„guras exprimunt. At Dæmones, pro animi „ſui arbitrio, in quæcumque voluerint corpora „tranſeunt; ut copiosè ex *Marci* ſermone, oſten-„dit *Pſellus*.

„Sed (d) omnes Dæmones ejuſdem poteſta-„tis & voluntatis non ſunt participes; neque „parum diſcriminis hac in re eſt inter eos. Sunt „enim qui ratione carent, ut inter animalia „compoſita, mortíque obnoxia. In his homo, „qui facultate intelligente præditus eſt, ideò „generaliorem imaginandi vim habet, quæ ad „om-

(c) *Ibid. p.* 111. *& ſeqq.* (d) *p.* 119.

„omnia fermè ſenſilia extenditur. Equis autem „& bobus & ceteris idgenus arctior eſt imagi-„nandi vis, quippe quæ ad eorum tantùm non-„nulla extendatur, quæ imaginatione compre-„henduntur; & cognoſcit dumtaxat pecudes, „quæ ſecum paſcuntur, præſepe, & poſſeſſo-„res.

„Culices denique muſcæ & vermes eamdem „habent arctam, nec bene cohærentem. Ho-„rum enim ſingula nec foramen norunt, ex „quo egreſſa ſunt, nec locum ad quem ten-„dunt, quóve divertendum ſit; ſed unica illis „eſt alimenti imaginatio. Eodem prorſus mo-„do, ſunt Dæmonum varia genera. Alii ἐμπύ-„ρειοι ſeu *ignei*, alii aërei; variâ imaginatione „ſunt præditi, quamcumque tandem in rerum „ſpeciem vim imaginativam extendant. Sub-„terranei verò & Lucifugi diversè ſe habent, „quapropter haud pluribus formis utuntur; „quippe qui non habent plura phantaſmatum „genera, neque corpore agili & verſatili prædi-„ti ſunt. Aquei verò & terreſtres, inter me-„moratos medii, non poſſunt quidem plures „induere formas, ſed in iis quibus gaudent „perſeverant. Quotquot enim humidis in lo-„cis vivunt, mollioréque victu utuntur, in aves „illi & fœminas ſe transformant. Inde fit ut „eos Græci *Naiadas*, *Nereidas*, & *Dryadas* ge-„nere fœminino appellent. Quotquot autem in „locis aridis, ſeu teſquis inhoſpitis verſantur, „eis ſubarida quoque ſunt corpora cujuſmodi „Ὀνοσκελεῖς (*cruribus aſininis*) aiunt eſſe. Hi in „viros ſe transformant, & nonnumquam etiam „canibus & leonibus adſimilantur, & ceteris

„id

„id genus animantibus, quibus ſunt mores maſ-„culi.

„Dæmones porrò (*) poſſunt percuti & ictu „inflicto dolere, quamvis compoſiti non ſint, „neque enim compoſitorum proprius eſt ſenſus. „In hominibus non os, neque nervus id eſt „quod ſentit, ſed ſpiritus iis inſitus. Proinde „quamtumvis prematur nervus aut refrigeretur, „aut aliud hujuſmodi patiatur, dolor ex ſpiri-„tûs in ſpiritum immiſſione oboritur. Nec enim „fieri poteſt ut compoſitum corpus per ſe do-„leat, ſed qui ſpiritûs particeps eſt; quando-„quidem in fruſta diſſectum, ſeu mortuum, „ſenſu prorſus caret. Ita & Dæmon, cùm to-„tus ſit ſpiritus, naturâ ſuâ ſensûs in omnibus „membris particeps, per ſe videt & audit, & „adfectionibus ex tactu orientibus obnoxius diſ-„ſectus dolet, ſolidorum corporum inſtar. Hac „tantùm ab his ratione differt, quòd cùm ce-„tera quæ diſſecantur vix, vel nullo potiùs mo-„do, denuò coaleſcant: dæmonium contrà diſ-„ſectum ſtatim coït, & redintegratur: quem-„admodum particulæ aëris vel aquæ, ſolidi cu-„juſpiam corporis interjectu diviſæ, rurſus coa-„leſcunt. Tametſi autem verbo citiùs ſpiritus „coaleſcit, tamen eo momento dolet, quo diſ-„ſectio fit.

Atquæ hæc, de *Theologia* & *Phyſica* Chaldæo-rum, hactenus.

(*) *Ibid.* p. 140.

CA-

CAPUT XVII.

De Astrologia, reliquisque divinandi artibus, & primò quidem de stellis fixis & erraticis, earúmque præsignificatione.

SECUNDA pars Chaldaïcæ doctrinæ sita erat in divinandi artibus, quarum præcipua fuit Astrologia. Hæc, quæ ab iis primùm inventa traditur, præcipua eorum in se traxit studia; cujus rei rationem *Ptolemæus* ex ipsa Arte petit, quòd, nimirum, essent *sub Virgine & Mercurio*. Verùm plausibilior à (*a*) *Cicerone* adfertur, *propter planitiem, magnitudinémque regionum quas incolebant, cœlum ex omni parte patens atque apertum*, in quo trajectiones, motúsque stellarum facilè observari poterant.

Constat autem duabus partibus, quarum una est *Meteorologice*, quæ versatur circa motum stellarum: altera *Apotelesmatice*, quæ ad divinationem pertinet. Prima nota erat Veteribus Græcis, communi *Astrologiæ* & *Astronomiæ* nomine; donec secundâ Græciæ illatâ, distinctionis causâ, priorem propriè *Astronomiam*, posteriorem *Astrologiam* dixere. *Josephus Scaliger*, vir summus, ut Græcam eruditionem extollat, constanter adfirmat (*b*) *Chaldæos* ὁλοσχερῆ *tantùm, non etiam* ἀκριβῆ *Astronomiæ notitiam habuisse, & Græcos nihil pænè à Chaldæis didicisse*; cùm *Aristoteles* ingenuè fateatur ab Ægyptiis & Babyloniis plu-

(a) *De divin. Lib. I. c. 1.* (b) *In Præf. ad Manil.*

plurimas observationes, circa singulas stellas, Græcos habuisse. Attamen multùm aberant Chaldæi sine dubio ab ea perfectione Artis, ad quam Græci Astronomiam ab Oriente acceptam postea perduxere; nam *Diodorus Siculus*, (*c*) *de solis defectionibus, infirmissimas ab iis allatas fuisse rationes, easdémque non ausos prædicere*, memoriæ prodidit.

Verùm τῆς ἀποτελεσματικῆς (*) non modò se inventores, sed summos etiam magistros jactabant; usque adeò ut quicumque eam artem profitebantur, cujusvis essent regionis, vocarentur, ut supra ostendimus, *Chaldæi*.

In primis autem *ab eis ponitur* (*d*) τὸ συμπαθεῖν τὰ ἐπίγεια τοῖς οὐρανίοις *sympathiam esse inter terrestria & cœlestia, ut ex illorum influxibus hæc semper renoventur.*

Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Terrenorum hominum mens & sententia talis,
Unoquisque die, qualem vult Jupiter esse.

Astronomi actiones nostras & vitam pendere ex stellis, cùm erraticis, tùm fixis, humanúmque genus multiplici earum cursu regi putabant: *Chaldæi dicunt*, ait idem Scriptor, *septem stellas*, (planetas) *habere rationem causarum agentium in unumquodque eorum, quæ in vita accidunt; adjuvare autem partes Zodiaci.* Existimabant eas esse causas boni & mali, prout horâ natali dispositæ erant, atque ex contemplatione

(c) Lib. II. pag. 83. (*) *Vide Indicem in* Astrologia.
(d) *Sext. Empir. adv. Mathem. Lib. V. init.*

ne earum naturæ futura hominibus posse prædici.

„Deos principes, auctore *Diodoro* loco laudato, numerabant duodecim; singulis mensem, & de duodecim Zodiaci signis unum adtribuunt.

„Post Zodiacum viginti quatuor constituunt „stellas, (*) quarum duodecim Borealem, duodecim Australem partem sibi vindicent. Inter „has, quæ apparent viventibus ab iis deputan„tur: quæ latent vitâ functis congregatæ esse „putantur; atque has δικαστὰς τῶν ὅλων appellant, „*rerum omnium judices*.

„Maximam verò considerationem aiunt, & „singularem motûs efficaciam in quinque stel„lis, quas alii Planetas, ipsi ἑρμηνεῖς *interpretes* „nominant; quòd cùm ceteræ non errantes stel„læ certum habeant progressum, hi soli, pecu„liari suo itinere futura ostendant, Deorúmque „benevolentiam, interpretum instar, homini„bus nuncient. Quædam enim ortu, quædam „occasu suo; nonnulla per colores, si quis ani„madvertere velit, portendi ab his aiunt. Aliàs „quanta ventorum procella, aliàs quanta im„brium tempestas, aut quanta caloris vehe„mentia sit ingruitura prænunciant. Comet„rum quoque exortus, Solísque & Lunæ defe„ctiones, cum terræ motibus, & cunctas de„nique variationes aëris nos ambientis, tam „bonas quàm noxias, non solùm Gentibus, „verùm & Regibus & privatis quibuslibet ab iis „significari putant. Hi stellas triginta subji„ciunt, quas vocant *Deos Consiliarios* βουλαίους θεούς; „quo-

(*) *Vide Indicem in voce* Stellæ.

„quorum dimidia pars infra terram adspiciat, „altera pars supra terram res mortalium con„templetur. Decémque intervallo dierum à su„perioribus ad inferiores, unum veluti stellarum „nuncium adlegari, & ab inferioribus ad supe„riores vicissim unum. Atque hunc eis mo„tum, æterni circuitûs lege, sic esse definitum.

CAPUT XVIII.

De Planetis.

PRÆTER ea quæ ex *Diodoro* protulimus, Capite antecedente, de opinione Chaldæorum circa Planetas, (*a*) *Sextus Empiricus* testatur eos credidisse τῶν ἑπτὰ ἡγεῖσθαι τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην, *septem Planetarum præcipuos esse Solem & Lunam, minorem autem his vim habere* πρὸς τὰς ἀποτελεσμάτων ἐκβάσεις *ad apotelesmatum* (actionum) *eventus quinque reliquas.*

Ex quinque aliis (*) *cum Sole consentire, eidémque opem ferre* (†) *Saturnum, Jovem & Mercurium, quos vocant* ἡμερινοὺς *diurnos; propterea quòd Sol, cui ferunt auxilium, iis dominetur, quæ gignuntur interdiu.*

Ex stellis autem alias esse beneficas, alias maleficas, alias communes; beneficas quidem stellas Jovis *&* Veneris; *maleficas autem* Martis *&* Saturni; *communem* Mercurii; *quoniam cum beneficis sit benefica, cum maleficis malefica.*

(a) *Ad Math. p.* 114. *& seq.* (*) *Vide Indicem in voce* Ægyptii. (†) *Vide in voce* Saturnus.

CAPUT XIX.

Divisiones Zodiaci.

„CUM (a) apud Chaldæos non esset certa ob-
„servandorum Astrorum ratio, quòd non
„contemplarentur signa, ex ipsorum circum-
„scriptione, sed septem dispersarum stellarum
„observatione; venit eis in mentem in duodecim
„partes totum dividere circulum. Rationem,
„quâ id factum est, ita narrant; dicunt, nempe,
„Veteres, cùm observassent unamquamque luci-
„dam stellam, earum quæ sunt in circulo Zodia-
„co, & deinde perforatam amphoram aquâ im-
„plessent, sivisse aquam fluere in alterum vas sub-
„jectum, donec eadem stella oriretur, conjectan-
„tes ab eodem signo ad idem signum fuisse circuli
„circumvolutionem. Rursus sumserunt duode-
„cimam partem ejus quod fluxerat, & considera-
„runt quanto tempore effluxisset. Dicebant enim
„tanto tempore duodecimam partem circuli ab-
„solvi, & eamdem esse rationem partis absolutæ
„ad totum circulum, quæ est partis aquæ, quæ
„fluxit, ad totam aquam. Ex hac relatione duo-
„decimæ partis signabant ultimum finem ab ali-
„qua insigni stella, quæ eo tempore spectabatur,
„aut aliqua ex simul orientibus Borealibus aut
„Australibus. Hoc ipsum autem faciebant in aliis
„*Dodecatemoriis*, seu partibus duodenis.

Unicuique Dodecatemorio adtributam peculiarem à Chaldæis figuram, ut primo figuram Arie-

(a) *Ex Sexto Emp. Lib. V. p. 113. Ed. Gen.*

Arietis, cum hac nota ♈, licèt negetur à *Pico* (*b*) *Mirandulano*, videtur manifestum satis ex iis quæ de Chaldæis habent *Ptolemæus*, *Sextus Empiricus* & alii, quorum verba suis locis adferemus.

Τῶν θεῶν δὲ κυρίους εἶναι φασὶ δώδεκα τὸν ἀριθμὸν, (*c*) *Deorum præcipuos aiunt esse duodecim numero, singulis mensem & de duodecim Zodiaci signis unum adtribuunt.* Zodiacum ipsum vocabant circulum *Mazzaloth* (†) מזלות quod *Septuaginta* Μαζουρὼθ verterunt 2. Reg. XXIII, 5. quam vocem Suidas interpretatur τὰ συστήματα τῶν ἀστέρων, ἃ ἐν τῇ συνηθείᾳ ζώδια καλοῦνται, *constellationes astrorum, quæ vulgò dicuntur Zodia*, nam *Mazzal* significat stellam. Adtributio illa singulorum Deorum singulis signis, consentit cum eo quod dicitur de cultoribus Bahalis (quos Rabbi *Maimonides* eosdem ac Chaldæos fuisse putat) qui *suffitum offerebant Bahali*, *Soli*, *Lunæ*, τοῖς *Mazzaloth*, *& omni exercitui Cœli.* Quidam etiam putant hanc ipsam doctrinam ab Ægyptiis *Homero* traditam, quam à Chaldæis ipsi acceperant, atque ad eam adlusum à Poëta Iliados I. ubi meminit convivii Æthiopum, quo per duodecim dies erant excepturi Jovem & reliquos Deos. Atque hi digniores fide sunt aliis ex Veteribus, qui, teste *Eustathio*, (*) volebant *Homerum* originem, ita loquendo, dedisse opinioni Mathematicorum. Nec tamen quod addit in fabulæ interpretationem, sedium Deorum & stellarum fabricationem Vulcano tribui, propter Cœ-

 lestium

(b) *Cont. Astrol.* (c) *Diod. Lib. II. pag.* 83.
(†) *Vide Indicem in hac voce.* (*) *Vide Indicem in voce* Homerus.

lestium Orbium æthereum calorem, à Chaldaïca doctrina abludit.

„Chaldæi porrò signorum (*d*) alia quidem ap„pellant *masculina*, alia autem *fœminina*; & alia „quidem *bicorporea*, alia verò non; alia *firma*, „alia verò *tropica*. Atque *masculina* quidem vo„cabant & *fœminina*, quæ naturam habent quæ „juvat masculorum & fœminarum generatio„nem. Aries enim est signum masculinum, „Taurus autem fœmininum: Gemini masculi„num; & sic reliqua, ex simili analogia, alia „quidem masculina, alia verò fœminina. Non„nulli autem, unumquodque Signum dividentes „in duodecim partes, eadem ferè utuntur ratio„ne; ut in ariete, primam quidem duodeci„mam ejus partem adpellant Arietem & mascu„lum: secundam autem Taurum & fœminam; „tertiam Geminos & masculum, & sic porrò „in ceteris.

„*Bicorporea* dicunt esse signa Geminos &, „qui eis ex diametro adversatur, Sagittarium; „Virginémque & Pisces; non bicorporea reli„qua.

„*Tropica* ea sunt in quibus cùm Sol fuerit, re„greditur, & facit ambientis circuli conversio„nes (τροπάς) cujusmodi sunt signa Aries, &, „quæ ei ex diametro adversatur, Libra; Capri„cornus & Cancer. Nam in Ariete fit conversio „verna, in Capricornò autem hiemalis, in Can„cro verò æstiva, & in Libra Autumnalis.

„*Firma* autem existimant Taurum, &, qui „ei adversatur è diametro, Scorpium; Leonem „& Aquarium.

„Fue-

(d) *Sext. Emp. Ibid. p.* 111.

„Fuerunt (*e*) etiam quidam Chaldæi, qui „unamquamque partem humani corporis adtri„buerent unicuique signo; ut cui cum illo in„tercederet Sympathia. Arietem caput nomi„nant, Taurum collum, Geminos humeros, „Cancrum pectus, Leonem latera, Virginem „coxendices, Libram ilia, Scorpium puden„dum & matricem, Sagittarium femora, Ca„pricornum genua, Aquarium tibias, Pisces „pedes. Atque hoc, ait *Empiricus*, non ab„surdè, quoniam si quæ fuerit stella in aliquo „horum signorum in ortu maleficorum, efficit „mutilationem ejus partis, quæ est ejusdem „nominis.

„Præterea unumquodque Signum (*f*) divi„dunt in partes triginta, unamquamque autem „partem in sexaginta; ita enim vocant (ait „idem *Sextus*) quæ sunt minima & individua; „unde colligi potest Chaldæos ulteriorem divi„sionem non adhibuisse in secunda, tertia &c. *Sunt particulæ*, ait Censorinus * Chaldæorum rationem explicans, *in unoquoque signo tricenæ, totius verò Zodiaci numero* CCCLX: *Has* μοίρας *Græci cognominarunt, eo, videlicet, quòd Deas fatales nuncupant* μοίρας. *Et eæ particulæ nobis veluti fata sunt, nam quâ potissimùm oriente nascamur plurimùm refert. Sol ergo, cùm in proximum signum transscendit, locum illum conceptionis aut imbecillo videt adspectu, aut etiam nec conspicit*, &c.

Tres sunt aliæ dividendi Zodiaci rationes, quæ adtribuuntur Chaldæis, per *Trigona*, *Terminos* & *Decanos*.

L 3 *Tri-*

(e) p. 113. (f) p. 111. * *Cap. VIII.*

Trigona, (*g*) ſunt quatuor: Primum eſt Arietis, Leonis & Sagittarii; ſecundum Tauri, Virginis & Capricorni; tertium Geminorum, Libræ, & Aquarii; quartum Cancri, Scorpii, & Piſcium. A Chaldæis autem diviſum fuiſſe Zodiacum in hæc Trigona, ex ratione colligendi terminos Planetarum, à *Ptolemæo* deſcripta, ſatis liquet.

„ Unumquodque ſignum habet quinque Ter-
„ minos. Chaldaïca ratio eruendæ quantitatis ter-
„ minorum in unoquoque ſigno, una eſt & per-
„ facilis. Nam eorum quantitates differunt pari
„ diminutione. Unuſquiſque terminus minor eſt
„ antecedente uno gradu; etenim cujuſque ſigni
„ primum terminum conſtituunt octo graduum,
„ ſecundum ſeptenorum, tertium ſenorum;
„ quartum quinorum, quintum quaternorum,
„ qui ſimul triginta gradus efficiunt.

Denique ſigna dividebantur in *Facies*, Hebraïcè פנים *phanim*, Arabicè וגאה *wageah*. Græce πρόσωπα, & à Recentioribus δεκανοὶ dictæ, quæ poſtrema appellatio derivata eſt, ut obſervavit (*h*) *Joſ. Scaliger*, à Militia Romana. In unoquoque ſigno tres ſunt, quorum quiſque decem gradus continet. Hæc nota fuiſſe priſcis Chaldæis adeò liquet, ut vetuſtiſſimus Scriptor *Teucer Babylonius* de iis egerit.

(g) *Ptol. Ars. Vide Scalig. in Manil. pag.* 328.
(h) *In Manilium pag.* 329.

CA-

CAPUT XX.

De Planetis reſpectu Zodiaci conſideratis.

CHALDÆI Planetis non eſſe ſemper eamdem vim, ſed in quibuſdam Zodiaci ſignis efficaciores, in aliis minùs exiſtimabant. „ (*a*) Eædem
„ ſtellæ majorem vim habent, aut quòd ſint in
„ propriis domibus (ἐν ἰδίοις οἴκοις) aut in exalta-
„ tionibus (*in Trigonis*) aut in Terminis, ſeu
„ Decanis. Quæ à poſterioris ævi Aſtrologis *eſſentiales* eorum *dignitates* dicuntur.

Adſpectus Planetarum efficaciſſimus is eſt, quem in domibus propriis obtinent. „ Ut au-
„ tem putant, Solis domus eſt Leo, Lunæ Can-
„ cer, Saturni Capricornus & Aquarius, Jovis
„ Sagittarius & Piſces, Martis Aries & Scorpius,
„ Veneris Taurus & Libra, Mercurii Gemini &
„ Virgo.

„ Stellarum autem vocant *Exaltationes*, & ſi-
„ militer *Depreſſiones* ea quibus delectantur, &
„ in quibus vim habent exiguam. Nam delectan-
„ tur quidem exaltationibus, exiguam autem vim
„ habent in depreſſionibus. Ut Solis quidem exal-
„ tatio eſt Aries, & accuratè loquendo decimus
„ nonus hujus gradus. Depreſſio autem ſignum,
„ quod ei adverſatur è diametro. Lunæ exaltatio
„ eſt Taurus, Saturni Libra, Jovis Cancer, Mar-
„ tis Capricornus, Veneris Piſces, & horum de-
„ preſſiones, quæ è diametro oppoſitæ ſunt exalta-
„ tionibus.

 Tri-

(a) *Sext. Emp. Lib. V. p.* 115.

Trigona Planetarum hoc ordine à Chaldæis disponuntur: (*b*) terminus primi Trigoni (*Zodiaci*) est Jupiter; secundi Venus. „Eumdem „ordinem servant in aliis duobus Trigonis, nisi „quod tertium duos Dominos habere dicatur, „Saturnum & Mercurium. Prior pars diei tri„buitur Saturno, nox Mercurio. Mars postremi Trigoni dominus est. Quantùm porrò hæc methodus differat à vulgari, quæ Solem & Lunam complectitur, facilè is animadvertet qui utramque componet; & posterior quidem apud *Firmicum* inveniri poterit.

Vocant terminos Planetarum, in unoquoque signo, eos intra quos Planeta quispiam, à certo gradu ad certum gradum, maximè pollet, atque efficax est.

„Chaldaïca (*c*) methodus colligitur ex Do„minis Trigonorum, quæ planior est & effica„cior Ægyptiacâ ex Domuum Dominis ducta. „Neque tamen Chaldæi semper sequuntur, in „suis quantitatibus, eos Planetas qui Trigonis „præsunt. In primo Trigono, divisio Termino„rum uniuscujusque signi una eadémque est. „Primus Terminus Domino Trigoni Jovi, se„cundus Dominæ secundi Trigoni Veneri, ter„tius & quartus Dominis duobus Trigoni Ge„minorum, hoc est, Saturno & Mercurio, quin„tus Domino postremi Trigoni Marti tribuitur. „In secundo Trigono similiter unumquodque „signum dividunt, & Veneri Terminum tri„buunt, quòd huic Trigono præsit; secundum „& tertium Dominis duobus Trigoni Gemi„norum, Saturno & Mercurio; quartum Marti; „postremum Jovi. Saturno in die dantur 66 gra„dus, in nocte 78, Jovi 72, Marti 60, Veneri 75, „Mercurio in die 96, in nocte 78.

(b) *Ex Ptolem.* (c) *Ptolem.*

Decani vel facies Planetarum referuntur ad Zodiacum, primus Decanus est Planeta cujus est signum, secundus alter Planeta; & ita porrò. Hæc fuisse Veterum Chaldæorum inventa liquet, non modò ex eo quòd de hisce scripserit *Teucer Babylonius*, sed etiam quòd ab Ægyptiis, qui, auctore *Josepho*, ex Chaldæis hanc eruditionem derivaverant, observata fuerint. *Necipso* Rex Ægypti, idémque justissimus Princeps, si *Firmico* credimus; ex Decanis omnes morbos collegerat, ostenderátque quinam ab unoquoque crearentur Decano; quoniam natura ab alia natura, Deus unus ab alio superarentur Deo. Idem Scriptor docet etiam à *Petosiride* hanc Astrologiæ partem leviter perstrictam fuisse, non quòd eam ignoraret, sed quòd nollet suam eruditionem ad posteros traduci.

Ter-

Termini Planetarum, secundùm Chaldæos.

Aries	Jupiter	8	Venus	7	Saturnus	6	Mercurius	5	Mars	4
Taurus	Venus	8	Saturnus	7	Mercurius	6	Mars	5	Jupiter	4
Gemini	Saturnus	8	Mercurius	7	Mars	6	Jupiter	5	Venus	4
Cancer	Mars	8	Jupiter	7	Venus	6	Saturnus	5	Mercurius	4
Leo	Jupiter	8	Venus	7	Saturnus	6	Mercurius	5	Mars	4
Virgo	Venus	8	Saturnus	7	Mercurius	6	Mars	5	Jupiter	4
Libra	Saturnus	8	Mercurius	7	Mars	6	Jupiter	5	Venus	4
Scorpio	Mars	8	Jupiter	7	Venus	6	Saturnus	5	Mercurius	4
Sagittarius	Jupiter	8	Venus	7	Saturnus	6	Mercurius	5	Mars	4
Capricornus	Venus	8	Saturnus	7	Mercurius	6	Mars	5	Jupiter	4
Aquarius	Saturnus	8	Mercurius	7	Mars	6	Jupiter	5	Venus	4
Pisces	Mars	8	Jupiter	7	Venus	6	Saturnus	5	Mercurius	4

Numeri designant gradus uniuscujusque Signi, inter quos Planetæ interpositi maximam habent efficaciam.

CA-

CAPUT XXI.

Adspectus Signorum & Planetarum.

SIGNUM *quodlibet*, ait Censorinus, (*a*) *cum ceteris singulis habet mutuum conspectum, non tamen uniformem cum omnibus, nam validiores alii, infirmiores alii habentur. Igitur quo tempore partus concipitur, Sol in aliquo signo sit necesse; & in aliqua ejus particula, quem locum conceptionis propriè appellant.* Similiter Planetæ inter se invicem varios adspectus habent. *Sextus Empiricus* : (*b*) „Se invicem dicuntur adspicere, & inter se convenire, quippe qui appa„rent κατὰ τρίγωνον ἢ τετράγωνον. Et κατὰ τρίγωνον „quidem disponuntur, & se invicem adspiciunt „Stellæ, quæ trium signorum spatium inter se „habent. Κατὰ τετράγωνον verò quæ duorum: „οἱ ἐπὶ τελῶν ἢ δυοῖν ζωδίων ἔχοντες τὸ μεταξὺ διά„στημα.

Sol ergo, cùm in proximum (*c*) *signum transcendit, locum illum conceptionis aut imbecillo videt conspectu, aut etiam nec conspicit; nam plures proximantia sibimet Zodia invicem se videre omninò negaverunt. At cùm in tertio est signo, hoc est, uno medio interposito, tunc primum illum locum, unde profectus est, videre dicitur, sed valde obliquo & invalido lumine, qui conspectus vocatur* καθ' ἑξάγωνον, *qui sextam partem circuli subtendit. Nam si ut à primo Zodio ad tertium, sic à tertio ad quintum, inde porrò ad septimum,*

ac

(a) *C. VIII.* (b) *Adv. Math. p.* 115. (c) *Censorinus Ibid.*

ac deinde alternæ lineæ emittantur, hexagoni æquilateralis forma in eodem circulo scriberetur. Hunc quidam conspectum non usquequaque receperunt, quod minimùm ad maturitatem partûs videatur conferre. Cùm verò in quartum signum pervenit, & media duo sunt, videt κατὰ τετράγωνον, *quoniam illa linea, quâ visus pertendit, quartam partem orbis abscidit. Cùm autem in quinto est, tribus interjacentibus mediis,* κατὰ τρίγωνον *adspicit. Nam tertiam signiferi partem visus ille metitur, quæ duæ visiones* τετράγωνοι τρίγωνοι, *perquàm efficaces, incrementum partûs multùm adminiculant. Ceterùm à loco sexto conspectus omni caret efficientia, ejus enim linea nullius Polygoni adficit latus. Ita septimo Zodio, quod est contrarium, plenissimus, potentissimúsque conspectus, quosdam jam maturos infantes educit, qui septemmestres adpellantur, quia septimo mense nascuntur. At si intra hoc spatium maturescere uterus non potuerit, octavo mense non editur (ab octavo enim signo, ut à fixo, inefficax visus) sed vel nono mense, vel decimo. Sol enim à nono Zodio particulam conceptionis rursus conspicit* κατὰ τρίγωνον, *& à decimo* κατὰ τετράγωνον; *qui conspectus, ut suprà jam dictum est, perquàm efficaces sunt. Ceterùm undecimo non putant nasci, quia languido jam radio infirmum lumen* καθ' ἑξάγωνον *mittitur. Multò minùs duodecimo, unde conspectus pro nullo habetur. Itaque, secundùm rationem hanc,* ἑπτάμηνοι *nascuntur* κατὰ διάμετρον, ἐννεάμηνοι *autem* κατὰ τρίγωνον, δεκάμηνοι *verò* κατὰ τετράγωνον (d)

(d) *Videndum schema quod est in notis Lindenbrogii.*

CA-

CAPUT XXII.

Schemata.

„CUM divisione allata Zodiaci (*a*) consentit ratio, quâ dicunt à Chaldæis uniuscujusque nativitatis horoscopum observari. Noctu „enim, ut aiunt, sedebat Chaldæus in promontorio quopiam astra observans; alter verò parturienti, donec peperisset; adsidebat, & quamprimum pareret, ei qui in promontorio erat discum significabat. Hic cùm audisset, observabat signum quod oriebatur, tamquam Horoscopum. „Interdiu autem adtendebat horoscopos & motus Solis.

„Ex duodecim partibus, seu domibus, in „quas dividebatur Zodiacus, signa (*b*) quæ in „unaquaque nativitate dominantur ad Apotelesmatum eventum, & ex quibus maximè „prædictiones colligunt, dicunt esse numero „quatuor; (*) quæ quidem communi nomine appellant Centra, propriis verò unum „*Horoscopum*, aliud μεσουράνημα, medium „cœlum, aliud δῦνον *occidens*; aliud subterraneum & ἀντιμεσουράνημα, quod & *medium* „*cœlum* est. Atque *horoscopus* quidem est id „quod contigit oriri, eo tempore quo absolvebatur nativitas: *medium cœlum* quartum „ab illo signum ei conjunctum: *occidens* quod „est è diametro horoscopo oppositum: sub

L 7 „ter-

(a) *Sext. Emp. p.* 114. (b) *Id. p.* 112.
(*) *Vide Schema apud Scaliger, in Manilium p.* 298.

„ terra denique eſt *oppoſitum medio cœlo.* Ita (cla-
„ rior enim res exemplo fiet) ſi Cancer eſt ho-
„ roſcopus; in medio quidem cœlo eſt Aries,
„ occidit verò Capricornus, ſub terra autem eſt
„ Libra. Verùm enim verò ſignum, quod unum-
„ quodque horum Centrorum antecedit, vocant
„ ἀπόκλιμα, *declinationem*; quod ſequitur ἐπα-
„ ναφορὰν, *relationem.* Jam verò id quidem quod
„ ſequitur ſignum, quod eſt in horoſcopo, ſi ſit
„ in aperto, appellant *mali dæmonis*; quod eſt
„ poſt hoc & ſequitur medium cœlum *boni Dæ-*
„ *monis*: quod antecedit id quod eſt in medio
„ cœlo, κάτω μερίδα *inferiorem partem*, καὶ μονο-
„ μοιρίαν καὶ θεὸν *& unicam ſortem & Deum*;
„ quod venit in occaſum *otioſum ſignum* & *ini-*
„ *tium mortis*; quod eſt poſt occaſum, neque ap-
„ paret, *pœnam* & *malam fortunam*, quæ eſt è dia-
„ metro oppoſita malo Dæmoni; quod venit ſub
„ terram, *bonam fortunam*, quæ è diametro oppo-
„ ſita eſt bono Dæmoni; quod recedit à medio
„ cœlo versùs orientem *Deam*, Deo è diametro
„ oppoſitam; quod autem Horoſcopum ſequitur
„ *otioſum.*

„ Ut compendioſiùs dicamus, ſigni, quod eſt
„ in Horoſcopo, declinatio vocatur Malus Dæ-
„ mon, Epanaphora otioſum. Eodem modo ejus,
„ quod eſt in medio cœlo, declinatio quidem
„ Deus, Epanaphora bonus Dæmon: ſimiliter
„ ejus quod eſt ex adverſo medii cœli, declina-
„ tio vocatur Dea, Epanaphora bona fortuna:
„ pariter Occidentis declinatio quidem mala for-
„ tuna, Epanaphora autem otioſum. Exiſti-
„ mant autem hæc non eſſe leviter expenden-
„ da.

„ Chal-

„ Chaldæi (*c*) hinc deducunt ſuas prædictiones
„ Apoteleſmatum. Apoteleſmatum autem ali-
„ quod eſt diſcrimen; nam alia ſunt ſimpliciora,
„ alia accuratiora. Simpliciora fiunt ſecundùm
„ ſignum, aut ſimplicem vim ſtellæ; ut, quòd
„ hæc ſtella, ubi eſt in hoc ſigno, tales facit. Ac-
„ curatiora ſunt quæ fiunt ſecundùm concurſum,
„ aut, ut ipſi loquuntur, κατὰ σύγκρασιν πλειόνων,
„ *per miſturam plurium* ſtellarum; ut, ſi alia
„ quidem ſit in Horoſcopo, alia in medio cœlo,
„ alia ſit in eo quod eſt ex adverſo medii cœli, aliæ
„ autem ſic ſe habeant, hæc evenient, συμβήσε-
„ ται τάδε.

Atque hæ ſolæ ſunt Aſtrologiæ Veteris reliquiæ, quæ certò priſcis Chaldæis à nobis tribui queant.

(c) *Id.* 3. 116.

CAPUT XXIII.

Aliæ divinandi artes.

PRÆTER Aſtrologiam, alias invenere & uſurpavere Chaldæi divinandi artes, inter quas *Diodorus* memorat (*a*) τὴν διὰ τῶν οἰωνῶν μαντικὴν, ὀνειρων τε καὶ τεράτων ἐξηγήσεις καὶ τὰ περὶ τὴν ἱεροσκοπίαν, *divinationem per aves, ſomniorum, prodigiorúmque interpretationes & quæ pertinent ad Aruſpicinam. Maimonides* (*b*) quoque auctor eſt apud Chaldæos, ab antiquiſſimis uſque temporibus, varia fuiſſe Hariolorum genera, & præſertim ea quæ recenſentur Deut. XVIII, 10. 11.

Divi-

(a) *L. I. p.* 81. (b) *Mor. Nob. L. III. c.* 29.

Divinationem per auſpicia primùm eis tribuit *Diodorus*, nec ſanè credibile eſt homines, qui adeò diligenter in omnes divinandi artes inquiſiverant, fuiſſe imperitos hujus, quam tanti fecerunt poſteriora ſæcula. Sed qui hunc ſenſum tribuunt voci מנחשים *mnacheſchim*, videntur eò adducti, quòd ea vox Latinè *augurari* tranſlata ſit.

Sequentem, quæ in ſomniorum interpretatione ſita eſt, ab Abrahamo inventam fuiſſe (c) *Philo Judæus* memoriæ prodidit. Certè veteres Chaldæos hanc artem eſſe profeſſos apparet ex reſponſo eorum Dan. II. ubi ſic Nabuchodonoſorem alloquuntur: (*) *Rex ſomnium dicat ſervis ſuis, & interpretationem illius indicabimus.* Exſtant etiamnum plurimi verſus *Onirocritici*, quibus præfixum eſt *Aſtrampſychi* nomen, & quos collegit ex *Suida*, ac digeſſit *Joſephus Scaliger*. Aſtrampſychus autem à *Laërtio* inter Magos numeratur, nec deſunt (d) qui Aſtrampſychi nomen interpretamentum vocis *Zoroaſtres*, quam quidam *aſtram vivens* explicant, eſſe exiſtiment.

Tertiam divinandi artem, interpretationem, ſcilicet, portentorum, Græci Interpretes exiſtimarunt ſignificari voce Hebraïcâ ידענים *jidhonim*, quam ideò verterunt ἐπαοιδὰς καὶ τερατοσκόπους.

Ultimam *Diodorus* vocat extiſpicium, atque hac uſos eſſe Chaldæos apparet ex Ezekiele XXI, 21. ubi dicit Propheta Regem Babylonis, inter alias divinationes, *inſpexiſſe jecur.* Qui hoc

(c) *Suidas in voce* Abraham, (*) *Vide in voce* Oniroitice, (d) *Urſinus in Zor.*

divinationis genus excolebant videntur à Daniele vocari גזרין *gazrin*, à גזר *gazar*, *ſecuit*; cædebant enim hoſtias, atque extis inſpectis futura prædicebant.

Ob אוב vertitur *Pytho*, ſeu potiùs *Pythonicus ſpiritus.* Hæc autem vox propriè *lagenam* ſignificat, & ſumitur pro eo ſpiritu, qui *ex utero Pythoniſſæ* loquebatur. Hebraïcè ea mulier vocatur אשת בעלת אוב *Eſcheth. Bahalath Ob*, à Septuaginta verò Interpretibus γυνὴ ἐγγαστρίμυθος. Quando ait Saul I. Sam. XXVII, 8. *quæſo, divina mihi in Ob*, verterunt μαντεῦσαι δή μοι ἐν τῷ ἐγγαστριμύθῳ. Rabbi *Moſes Maimonides* (*) ab ea quæ huic arti initiabatur geſtatam fuiſſe manu myrteam virgam; Rabbi verò *Abraham filius Davidis*, hoſce ritus ad ſepulcrum ſolitos fuiſſe celebrari, ait.

Doreſch el hammethim דרש אל המתים *inquirens apud mortuos* propriè eſt *Necromantis.* Atque hoc divinationis genus à Chaldæis originem duxiſſe (e) quidam adfirmant. Qui porrò has divinandi artes aliaſque ſimiles exercebant, generali nomine *Mechaſchphim* indigitabantur, ut ſuprà dictum eſt.

(*) *Pag.* 3. *c.* 37. *Mor. Nob.* (c) *Franc. Mirandul. de rerum pranot.* Lib. IV. pag. 328.

CAPUT XXIV.

De Magia Naturali & Theürgica, & primùm quidem de Naturali.

TERTIA Chaldaïcæ doctrinæ pars in *Magice* sita fuit, quæ, licèt nomine Persico donata, originis erat Chaldaïcæ, excolebatúrque ab iis qui *Aschaphim* vocantur. De hisce intelligendus *Laërtius* (a) ubi dicit γεγονέναι γὰρ μὲν Πέρσαις Μάγους, γὰρ δὲ Βαβυλωνίοις ἢ Ἀ'συρίοις Χαλδαίους, *fuisse apud Persas quidem Magos, apud Babylonios verò & Assyrios, Chaldæos.* (*) Hinc fit ut Magorum nomine intelligantur etiam Chaldæi.

Ait quidem *Plinius* (b) *inter auctores convenire ortam esse Magicen à Zoroastre*; sed addit *anúsne hic fuerit, an postea alius non satis constare.* Ab eo autem intelligi Zoroastrem Chaldæum, non Persam, inde colligere est, quòd eos laudet Scriptores, qui Zoroastrem antiquiorem Platone censent sex annorum millibus, & Trojano Bello quinque millibus: quorum rationes, quamvis absurdæ, respiciunt antiquissimum Zoroastrem Chaldæum. Eodem in loco meminit Babylonii *Marmari*, & Assyrii *Tarmoendæ*, aliorúmque ejusdem artis peritorum; sed adeò antiquorum, ut nulla eorum supersint monumenta.

(a) *In Proœmium.* (*) *Vide Indicem in voce* Magus.
(b) *Lib. XXX. cap. 1.*

Quid-

Quidquid porro Chaldaïcæ Magices ad nos pervenit, potest ad duo genera referri, *Naturale* & *Theürgicum.*

Prima Chaldaïcæ doctrinæ pars ea censetur, quæ *Naturalis Magice* vulgò dicitur, quòd contempletur virtutes omnium rerum cœlestium & sublunarium, scrutétúrque earum συμπαθείας, & mutuâ earumdem adplicatione inusitatos effectus edat.

Hoc genere Magiæ (c) Chaldæi profitebantur mirabilia à se fieri, in rerum natura, cùm in singulis hominibus, tum in integris provinciis. Inter alia, ut *Maimonides* inferiùs docet, existimabant à se leones, serpentes & similia noxia „animalia è civitatibus ejici, omnia vitiorum ge„nera à plantis arceri, grandinem cohiberi, ver„mes è vineis, ne eas corrumpant, interimi, ne „folia ex arboribus decidant effici, aliáque, de „quibus in libro עבודת הנב״ *Abodath Hannabatim*, „cultura Nabatæorum.

(c) *Maim. Lib. III. cap. 37. Mor. Neb.*

CAPUT XXV.

Magicæ Operationes, earúmque genera.

MAGICAS operationes ad tria genera refert modò laudatus Rabbinus, eodem loco; quorum „primum versatur circa Plantas, Animalia & Metalla: alterum in designatione tem„poris, quo illa peragenda sunt: tertium in „gestibus & actionibus humanis, ut saltatione, „manuum complosione, clamore, risu, cuba-

„tione

„tione humi, rei alicujus combuſtione, fumi „excitatione, quorumdam verborum articula„torum aut inarticulatorum pronunciatione ſi„tum eſt.

„Quædam nonniſi his omnibus ſimul perfi„ciuntur, ut cùm dicunt: ſumatur hoc folium „de hac herba, ſdque dum Luna eſt in hoc „gradu & loco; vel: ſumatur de cornu beſtiæ, „vel de ejus ſudore, villis, aut ſanguine, hæc „vel illa menſura, quando Sol eſt in medio cœ„lo, aut alio certo loco; vel: ſumatur de hoc „aut pluribus metallis, quæ liquefiant ſub cer„ta conſtellatione & Lunæ ſitu; poſtea profe„rantur certa verba, ex certis foliis excitetur „fumus, ſdque hac aut illâ ratione, tum certò „aliquid continget.

„Deinde ſunt quædam opera Magica, quæ „uno tantùm genere ex memoratis, perfici poſ„ſe cenſentur. Hæc aiunt à mulieribus potiſſi„mùm fieri poſſe, quale eſt, quod apud eos „de aqua elicienda legimus. Si decem Virgines „ſe ornent, veſtimenta rubra induant, ſaltent „ita ut una alteram impellat, & quidem progre„diendo & retrogrediendo, digitos denique ver„ſus Solem certis ſignis extendant; ad finem per„ductâ illâ actione, aquam elici & prodire di„cunt. Sic ſcribunt: ſi quatuor Mulieres in ter„go jaceant, & pedes ſuos cum comploſione „versùs cœlum extendant, certa verba, certos „item geſtus adhibeant, ab iis turpi hac actione „grandinem decidentem averti. Ita ſimiles va„nitates & ſimilia deliria multa alia paſſim ha„bent, ad quæ nonniſi mulierum operâ & mini„ſterio illos uti comperimus.

„Nul-

„Nullum autem Magicum opus, ſine ſide„rum operatione, perfici poteſt; opinantur „enim cuivis Plantæ ſuam eſſe Stellam, quem„admodum etiam omnibus animalibus & me„tallis certas ſtellas adtribuunt. Exiſtimant „quoque operationes illas eſſe proprios ſtella„rum cultus, atque has eâ actione, eo ſermo„ne, vel fumo delectari; & propterea quod ii „optant, qui eos ritus peragunt, id à Stella per„fici.

Hactenus *Maimonides*, qui ex libris Chaldæorum ſuâ ætate exſtantibus hæc ſe hauſiſſe ſcribit, ſolúſque pauculas haſce reliquias Chaldaïcæ ſuperſtitionis poſteritati conſervavit.

CAPUT XXVI.

De Tſilmenaja, vel Taliſmanibus, quibus utebantur inſtar amuletorum.

PRÆTEREA à Chaldæis inventam adfirmant Rabbini arcanam figurarum virtutem: neque ejuſmodi imaginibus quidquam umquam celebrius fuit. A Chaldæis & Perſis *Tſilmenaja* צלמניא vocantur, voce ductâ ab Hebraïca *Tſelem* צלם *imago*. Arabes vocant טלשמון *tilſamon* fortè ex eadem radice, quod veriſimilius videtur, quàm quod conjiciunt quidam ab iis voces, quibus utuntur, deductas à Græco vocabulo τέλεσμα, quo τετελεσμένον τὶ *aliquid perfectum* ſignificatur.

Hæ

Hæ imagines ſub certis conſtellationibus conficiebantur in varios uſus, five averruncandi, ſeu prædicendi causâ.

Quæ inſtar amuletorum erant, eas quidam putant eſſe recentiùs à *Tyanæo Apollonio* inventas; ac reverâ primus eo nomine, apud Græcos, celebris factus eſt. At hanc artem ab eo ex Oriente allatam veriſimile eſt, quoniam ejuſmodi imagines, per totum Orientem, etiamnum hodie, plurimæ conſpiciuntur, & nonnullæ quidem antiquiſſimæ; quas (*a*) *Gaffarellus* memorat, ut earum inventionem Perſis, aut, ſi mavis, Chaldæis vel Babyloniis deberi oſtendat.

Hæ imagines à Græcis vocantur στοιχεῖα & στοιχειώσεις, earúmque opifices στοιχειωματικοί. *Generabiles & corruptioni obnoxiæ formæ*, ait *Ptolemæus* in *Centiloquio*, *à cœleſtibus adficiuntur formis, qua de cauſa Stoichiomatici iis utuntur; quòd à ſtellis eas inſideri putent.*

In quæ verba *Hali Aben Rodan*, aut, ut Hebraïca habet Tranſlatio, *Aben Giafar*, ſcribit: „In hoc Capite *Ptolemæus* multa imaginum arcana revelare adgreditur, & oſtendere figuras, „quæ hîc infrà ſunt, reſpondere iis quæ ſunt „ſuprà, à quibus adficiuntur. Exempli gratiâ, „cœleſtis ſcorpius terreſtribus ſcorpiis, & ſerpens cœleſtis terreſtribus anguibus præeſt. Periti Stellarum obſervabant quando Planeta ex „radiis ſolaribus emergebat, & ingrediebatur „conſtellationem aliquam, cui figura hujuſmodi tribuitur; tum Planetâ in Horoſcopio collocato, inſculpebant figuram lapidi, addebántque

(*a*) *In libello Gallico inſcripto* Curioſitez inouïes.

„que alia neceſſaria, & imaginem ad exitium, „vel ad tutelam aptabant. Atque ea virtus in „lapide diu perſeverabat.

CAPUT XXVII.

De Taliſmanibus, prædicendorum futurorum causâ confectis.

ALTERUM Taliſmanum genus, ad futurorum præcognitionem adhibebatur. „Haſce imagines, ut ſcribit *Maimonides*, (*a*) in „honorem ſtellarum erigebant, & Soli quidem „aureas, Lunæ verò argenteas; atque ita etiam „Metalla & Climata terræ Stellis dividebant. „Dicebant enim certi Climatis Deum eſſe certam Stellam. Deinde Sacella exſtruebant, atque in iis ſimulacra ſtatuebant, vires Stellarum influere in illas imagines, eáſque intelligentiâ eſſe præditas, hominibus Prophetiæ „donum largiri, ac denique iiſdem utilia ac „ſalutaria ab imaginibus ita conſecratis indicari rati. Ita dicunt de arboribus, quæ ad Stellas pertinent; cùm arbor quædam certæ Stellæ dedicata eſt, nomini ejus ſata, & certis ritibus culta, virtutes ſpirituales Stellæ in arborem illam infundi, ita ut efficiat ea arbor „ut homines, prophetico ſpiritu pleni, vaticinentur, eadémque in ſomnis homines eam co„lentes adloquatur.

(a) *Mor. Neb.* Lib. III. cap. 29.

VOX

Vox *Theraphim* תרפים (*) in Scriptura, inter alia quæ obtinet ſignificata, aliquando pro hiſce imaginibus ſumitur; unde (*b*) ab *Onkeloſo*, cui adſtipulatur *Syrus* interpres, vertitur *Tſilmenaja*. Septuaginta Intt. explicant δήλους, ἀποφθεγγομένους, & φωτισμοὺς, quibus vocibus ſignificant illis fuiſſe vim prædicendorum futurorum; quod ab ipſa habent Scriptura, quandoquidem teſtatur Ezechiel (*c*) Babyloniæ Regem futura cognoſcendi avidum, inter alias artes, *conſuluiſſe Theraphim*.

Hujus generis fuiſſe exiſtimantur imagines, quas Rachel patri Labani ſuffurata eſt, cùm hic iis nomen tribuat (*d*) *Deorum ſuorum*, quæ verba, *maximum Deorum ſuorum*, Coptus Interpres tranſtulit. R. *David Kimchi* ſtatuas fuiſſe exiſtimat, ad futurorum prædictionem, ope Aſtrologiæ confectas; quarum figuras quidem hodie ignoramus, ſed eas futura ore Cacodæmonis eloquutas. R. verò *Eliezer* cenſet humanam ſpeciem eas retuliſſe, & factas ſub certis conſtellationibus; quarum influxu certis horis loquendi, & cuivis interroganti reſpondendi virtutem accipiebant. Humanâ pariter formâ factas, ita ut cœleſtis influentiæ eſſent capaces, adnotat *Aben Ezra*; atque ad eam mentem interpretatur Theraphim, quæ pro liberando Davide, in lecto poſuit Michal. Addit hæc ſigna à Rachele non eſſe ſurrepta eo animo, ut patrem ab Idololatria revocaret, alioquin „enim potiùs alicubi in via ea fuiſſe celaturam, „non ſecum adeò procul delaturam. Sed quo„niam

(*) *Vide Indicem in hac voce.* (b) *Gen. III.*
(c) *Cap. XXI, 21.* (d) *Gen. XXXI.*

„ niam Pater Aſtrologiæ erat peritus, timuiſſe „ ne, conſultis imaginibus & ſtellis, quâ viâ „ aufugiſſet Jacobus reſciret. Ideò etiam *Au*„ *guſtinus* Quæſt. XCIV. in Geneſin: *Quod Laban*, inquit, *dicit*, *quare furatus es Deos meos*, *hinc eſt illud fortaſſe quod & augurari ſe dixerat*. Capite enim antecedente Jacobum Laban ſic alloquitur: *auguratus ſum*, *quòd benedixerit mihi Dominus propter te*. Nam ita vertunt vocem נחשתי *nichaſchti* Vetuſtiores, & de prænoſcendo, probando, ſeu conjiciendo locum illum intelligunt Hebræi, ut obſervavit (*e*) *Joan. Seldenus*.

Philo Judæus (*f*) verba faciens de *Theraphim Michæ*, fingit ab hoc conflatas fuiſſe „ ex puro „ auro & argento, tres imagines juveniles, tres „ vitulos, item imagines Leonis, Draconis & „ Columbæ; adeò ut, ſi quis aliquid arcani de „ uxore reſcire vellet, ad imaginem Columbæ, „ quæ reſpondebat quæſitis, confugere eum „ oporteret; ſi de pueris, ad Puerum; ſi de divitibus, ad Aquilam; ſi de potentia ad Leo„ nem; ſi de filiis & filiabus, ad Vitulos; ſi de „ longævitate denique, ad Draconem. Hæc, „ quamvis inania, oſtendunt tamen à *Philone* „ τοὺς *Theraphim* imagines fatidicas fuiſſe cre„ ditos.

(e) *De Diis Syris Synt. I. c. 2.* (f) *Hic locus ubi ſit neſcio, niſi ſit apud Pſeudo-Philonem* Annii Viterbienſis. [*Poſtea vidi exſtare apud ſuppoſititium* Philonem, *ut conjeceram p.* 98. *Ed. Commelin. an.* 1599.]

CAPUT XXVIII.

De Magia Theürgica.

MAGICES Chaldaïcæ altera pars fuit θεουργικὴ, ad quam fortè peculiariter alludit (*a*) *Plato*, quando dicit Magiam Zoroaſtris fuiſſe cultum Deorum. Hanc quoque vocabant (*b*) *Diſciplinam rituum*, *opera* pietatis, &, ut loquuntur Græci doctrinæ ejus Interpretes, τελεστικὴν ἐπιστήμην. Qua in re ſita eſſet colligere eſt ex *Suida*, de duobus Julianis. „Julianus, inquit, „Chaldæus Philoſophus pater Juliani, cognomento Theürgi, ſcripſit de Dæmonibus Libros „quatuor. Eſt quoque apud eumdem Phylacterium, ad unumquodque membrum, qualia „ducuntur ex Teleſiurgicis, hoc eſt, ritibus arcanis Chaldæorum. Julianus antedicti filius „ſub M. Antonino Imp. ſcripſit & ipſe verſibus „Theürgica, Teleſtica & Oracula, & alia quæcumque ſunt hujus artis arcana.

Igitur Teleſticæ Diſciplinæ operâ putabant, adhibitis certis ritibus, Dæmonas in hominum colloquium venire. Τελεστικὴ ἐπιστήμη ἐστὶν ἡ οἷον τελειοῦσα τὴν ψυχὴν, διὰ τῆς τῶν ἐνθαῦτ' ὑλικῶν δυνάμεως. *Teleſtica diſciplina* (*c*) *eſt quæ perficit mentem, quantum poteſt, per potentiam materialium quæ hîc ſunt.* „Nequit enim Ratio per ſe ipſa ad „ſublimiorem contemplationem ſe ſe efferre, & „intellectionem Numinis. At ſermo pietatis (hoc eſt, *Religio Chriſtiana* (*d*) eam manu „ducit ad Deum, ope revelationum illinc emiſſarum; Chaldæus verò, per ſcientiam teleſticam &c. Plato quidem ratione & intellectu „ingenitam Eſſentiam intelligi poſſe ſtatuit. At „Chaldæus dicit nos non aliter ad Deum efferri „poſſe, niſi animæ vehiculum materialibus ritibus firmemus. Arbitratur enim animam, „lignis, herbis & carminibus luſtrari, & agilem „ad adſcenſum fieri.

(a) *In Alcibiad. I.* (b) *Pſellus in Orac.* p. 102. Ed. Amſt. (c) *Pſell. in Or. p. 94.* (d) *Vide Indicem in* Λόγος εὐσεβείας.

Prodeſt etiam τελεστικὴ corpori, non minùs ac menti: „Si mentem (*e*) tuam illuſtratam ad „ſuperiora extuleris, & divini ignis opus ad „pietatis opera evexeris (ſunt autem Chaldæis „ἔργα εὐσεβείας καὶ τῶν τελετῶν μέθοδοι, rationes „ſacrorum faciendorum) non ſolùm animam „adfectibus inſuperabilem reddes, ſed etiam corpus tuum ſalubrius efficies. Eſt enim is ſæpe „divinarum illuſtrationum effectus, ut conſumatur materia corporis, naturâque ſana fiat, „neque ampliùs adfectibus, neque morbis corripiatur.

(e) *Pſell. in Or. p. 102.*

CAPUT XXIX.

Theürgici Ritus.

RITIBUS Theürgicis putabant bonos elici Dæmonas, malos verò averruncari. Rituum horum præcipuus in ſacrificio ſitus erat, de quo memorabilia exſtant verba (*a*) *Jamblichi* Chaldaïcam opinionem ſic referentis: „Qui-

(a) *De Myſt. Sect. 3. c. 31.*

„ Quicumque verè sunt Dii dant tantùm bona, „ cum solis viris bonis conversantur, sunt cum „ iis qui per sacra purgati fuere, atque ab iis „ omne vitium, & omnem affectum auferunt. „ His adfulgentibus, quod malum & dæmonicum „ est evanescit & potentioribus cedit; quemad- „ modum luci tenebræ. Ne minimum quidem „ ampliùs malum turbat sacris operatos (Θεεργοῖς) „ qui exinde omnem adipiscuntur virtutem, pro- „ bis & honestis moribus fiunt, affectibus & omni „ inordinato motu liberantur, purgantúrque à „ moribus impiis & parum sanctis. Quicumque „ verò cùm ipsi sunt impuri, tum contra ritus „ & ordinem divina invadunt, propter infirmi- „ tatem suæ operationis, & defectum potentiæ „ quæ ipsis inest, non possunt Deos elicere. At „ si propter quasdam pollutiones à purorum spi- „ rituum commercio arcentur, contrà malis spi- „ ritibus copulantur, plenísque pessimo eorum „ afflatu mali & impii evadunt. Libidinibus, „ quas coërcere nequeunt, referti & vitio pleni, „ moribus dediti à diis alienis, & ut omnia pau- „ cis complectar, simillimi malis Dæmonibus, „ quibus conversantur, fiunt. Hi igitur adfecti- „ bus & vitio pleni, per adfinitatem adfectionis, „ malos in se trahunt (†) spiritus, & ab iis ipsi „ ad omne vitium incitantur; atque ita se in- „ vicem juvant, ut circulus cujus initium fini „ connexus est, & æquales utrimque reddit „ vices.

Utebantur etiam variis aliis ritibus, quos efficaces in eliciendis putabant Dæmonibus. „ Evocan- „ tur, ait *Nicephorus Gregoras* * in *Synesium*, ex „ aëre

(†) *Vide Indicem in voce* Spiritus. * *De Insomniis*.

„ aëre & terra certis vocibus & pulsibus, aut cer- „ tis vocibus & figuris, quæ vocantur characte- „ res, inventæque sunt à Chaldæis & Ægyptiis, „ qui primi retexerunt signum cujusque Dæmo- „ nis diacriticum.

Pauculi ex hisce ritibus in Chaldaïcis oraculis occurrunt.

Ἡνίκα δ' ἐρχόμενον πρόσγειον Δαίμον' ἀθρήσῃς
Θύε λίθον μνιζουριν ἐπαυδῶν.

† *Cùm terrestrem Dæmonem ad te accedentem videris, immola lapidem inclamando Mnizurin.* Psellus: (*b*) „ Dæmones terrestres naturâ sunt „ mendaces, utpote longè à divina cognitione „ remoti, & materiâ tenebricosâ referti. Quod „ si ex his verum responsum audire cupias, aram „ parato, & macta lapidem *mnizurin*. Hic au- „ tem lapis vim habet eliciendi alterius majoris „ Dæmonis, qui inconspicuus ad materialem „ accedens rerum quæsitarum veritatem insufur- „ rabit, quam ille respondebit interroganti. In- „ dicat autem nomen quo potest elici, unà cum „ sacrificio lapidis.

Alius ritus similis, ab iisdem oraculis indicatus, fit ope *Hecatici Strophali*: ἐνέργει περὶ τὸν Ἑκατικὸν στρόφαλον, *operare circa Hecaticum Strophalum* (*c*) „ Psellus: *Hecaticus Strophalus* est „ sphæra aurea, quæ includit sapphirum, loro „ bubulo agitata, referta characteribus. Hanc „ circumrotantes invocabant Deos, aut Dæmo- „ nas. Atque ejusmodi sunt quæ Iyngas evo- „ care

(†) *Vide Indicem in hac voce.* (b) *In Orac. p.* 108.
(c) *In Orac. pag.* 96.

„care solent, seu sphæricam habeant, seu trian-„gularem, seu quamvis aliam figuram. Talia „autem moventes sonos inconditos, vel bellui-„nos edunt, ridentes & aërem verberantes. „Docet igitur quomodo sit peragendus ritus, „seu motum hujus strophali, quasi vim arca-„nam habentem. Vocatur autem strophalus ille „Hecaticus, quia Hecatæ dicatus est. Hecate „autem Dea est apud Chaldæos, ad dextram „habens virtutum fontem. (*b*)

Non levis efficacia tribuebatur quibusdam vocibus, quæ in his sacris proferebantur, & quas mutari diserte vetant Oracula : ὀνόματα βάρβαρα μήποτ' ἀλλάξῃς *nomina barbara numquam mutes*. Psellus : „Sunt nomina apud unamquamque „Gentem divinitus tradita, quæ in sacris arca-„nam vim habent; ne autem hæc umquam in „Græcam dialectum mutaveris. Ejusmodi sunt „Seraphim, Cherubim, Michaël, Gabriel, quæ „si efferuntur secundùm Hebraïcam Dialectum, „habent in sacris (ἐν τελεταῖς) vim arcanam; „mutata verò in Græca nomina nullius sunt „efficaciæ. (†)

(b) *Vide Indicem in* Hecate. (†) *Vide Indicem in voce* Nomina.

CAPUT XXX.

Apparitiones.

DÆMONUM apparitiones, qui hisce ritibus eliciebantur, duplicis erant generis.

Pri-

Primùm vocatur ἐποπτεία *inspectio*, (*a*) quæ vox respicit περὶ ἐπόπτας, ad mysteriorum inspectores. Quando is, qui ritus perfecerat, videbat apparitionem lucis, exempli causâ, aliquâ (†) formâ vestitæ; „monet Oraculum (*b*) ne ad hanc „ampliùs animum advertat, néve vocem inde „missam veracem existimet.

„Solent (*c*) nonnumquam multis qui initian-„tur adparere, inter sacrificandum, canina „quædam, aliáque portentosa spectra &c. Hæc „sunt inania quædam simulacra (εἴδωλα) ejus-„modi absonorum mentis adfectuum, qui sunt „in iis qui initiantur, quæ adparent sine subsi-„stentia (ἀνυπόστατα) & propterea nihil veri signi-„ficare possunt.

Alterum vocatur αὐτοψία, (*d*) *ipse conspectus*, quo tum dicitur initiatus frui, *cùm videt divinam lucem sine forma, vel figura.* Hanc vocat „Oraculum εὐιερὸν πῦρ quòd invocantibus (*e*) „viris sanctis conspectus sit, & saltuatim totus „ignis apparuerit, seu hilariter, nec sine gratia, „per profunditatem mundi. Hunc qui vident, „non decipiuntur, sed quidquid responsi acci-„piunt verùm est.

Ἡνίκα δὲ βλέψῃς μορφῆς ἄτερ εὐιερὸν πῦρ
Λαμπόμενον σκιρτηδὸν ὅλου κατὰ βένθεα κόσμου,
Κλῦθι πυρὸς φωνήν.

Quando videris sacrum ignem sine forma, fulgentem per totius mundi profunditates, audi ignis vocem.

M 4 *Pletho:*

(a) *Psell. in Orac. pag.* 100. (†) *Vide Indicem in* Forma. (b) *P.* 98. (c) *Pletho in Orac. pag.* 96. (d) *Psell. in Orac. pag.* 100. (e) *Vide Indicem in voce* Ignis.

Pletho: (*f*) „ cùm conſpexeris divinum ignem „ (†) figura expertem (ἀσχημάτιστον) per totum „ mundum (vel *cœlum*, nam κόσμος & *mundus*, „ ita interdum ſumuntur) ſaltuatim ſplendentem, „ cum gratia quadam & propitium, hujus vocem „ audi, quippe quæ veriſſimam præcognitionem „ adfert.

Idem in hæc verba: μὴ φύσεως καλέσῃς αὔτοπτον ἄγαλμα, *ne vocaveris naturæ ſimulacrum ipſum conſpicuum:* „ Ne cupiveris, inquit, intueri per „ ſe conſpicuum ſimulacrum naturæ, quippe quod „ oculis inconſpicuum eſt. Quæ autem apparent „ initiatis, fulmina & ignis & ſi quid aliud eſt, ſym- „ bola ſimpliciter ſunt, non Dei natura, τὰ δὲ τετελεσμένοις φαινόμενα, κεραυνοὶ καὶ πῦρ καὶ εἴ τι ἄλλο, σύμβολα ἁπλῶς ἐστὶν, οὐ Θεοῦ τις φύσις. (*g*) Legitur vulgò ἄλλως pro ἁπλῶς, ſine ſenſu.

(*f*) *In Orac. p.* 86. (†) *Vide Indicem in* Ignis. (*g*) *Additament. Interpretis.*

CAPUT XXXI.

Materiales Dæmones quomodo averruncati.

UTI ope Theürgiæ boni Dæmones eliciebantur: ita materiales expellebantur, quod variis artibus, cùm actionibus, tum verbis fieri exiſtimabant.

Et verbis quidem, nam auctore *Marco* Monacho (*a*) apud *Pſellum*, „ materialia Dæmonia „ verita ne in Abyſſos, meatúſque ſubterra- „ neos relegentur, ſibique ab Angelis eò rele- „ gantibus timentia, cùm quis ea illuc relega- „ tum iri comminatur, Angelorúmque nomina „ exprimit, quibus id provinciæ demandatum „ eſt, dici vix queat quanto metu, quantáque „ perturbatione concutiantur. Ita enim animo „ percelluntur, ut ne comminantem, quiſnam „ ille ſit diſcernere valeant. Sed ſive anicula quæ- „ piam, ſive feroculus ſenex comminationes hu- „ juſmodi expreſſerit, tunc tantus ea metus inva- „ dit, ut plerumque abſcedant, ac ſi ea qui com- „ minantur, iidem & perficere poſſent.

(*a*) *De Dam. p.* 31.

Actionibus etiam repellebantur, nam eorum corpora, ut idem (*b*) ait, percuti poſſunt. „ Non os in quovis homine, neque nervus „ id eſt quod ſentit, ſed ſpiritus eis inſitus, „ &c. Nec enim fieri poteſt ut compoſitum „ corpus per ſe doleat, ſed quia ſpiritûs parti- „ ceps eſt, quandoquidem in fruſta diſſectum, „ vel mortuum, ſenſu prorſus caret, quia ſpiri- „ tu privatum. Eodem modo Dæmon, cùm „ totus ſit ſpiritus, & ſuâ naturâ ſenſûs in om- „ nibus membris ſuis particeps, per ſe videt & „ audit, iis quæ corpora propter tactum patiun- „ tur obnoxius, diſſectúſque indolet, ſolido- „ rum corporum inſtar. Hac tamen ratione ab „ his differt, quod cùm cetera quæ diſſecantur „ vix nullo potiùs modo coëant, Dæmonium „ contra diſſectum ſtatim coaleſcit: quemad- „ modum particulæ aëris, vel aquæ, ſolidi cu- „ juſpiam corporis interjectione diviſæ, denuò „ coëunt. Tametſi autem Spiritus dicto citiùs in „ priſtinam formam redit, tamen eo momento „ dolet, quo diſſectio fit. Proinde gladiorum mu-

M 5

(*b*) *p.* 140.

„mucrones timet & expavescit. Cujus rei non „ignari ii, qui artem expellendorum Dæmonum „norunt, quocumque eos accedere velle per- „sentiscunt ibi acus aut gladios cuspidibus ere- „ctis infigunt, aut alia quæpiam hujusmodi ex- „cogitant; tum Antipathiis eos averruncant, „vel Sympathiis alliciunt.

Ab hisce Dæmonibus (*c*) in eos à quibus co- „luntur, ignei quidam splendores descendunt, „quales sunt stellæ cadentes, quos insani Θεοπτίας, „divinas adparitiones, vocitare solent, & qui ni- „hil habent verum, neque stabile, neque fir- „mum (quid enim esset in tenebricosis Dæmo- „nibus lucis?) Sed sunt eorum ludibria, „qualia sunt in oculorum fascinationibus, aut „iis quæ fiunt à Circulatoribus, qui spectatores „deludunt.

Hi Dæmones, (*d*) secundùm Chaldaïca Ora- „cula, à divinæ vitæ beatitudine longè positi, „& intellectuali contemplatione destituti futura „portendere nequeunt; unde fit ut omnia quæ „dicunt aut monstrant falsa sint, & nullâ certi- „tudine suffulta. Μορφωτικῶς enim, *ex forma* „*externa*, Entia cognoscunt. At id quod sin- „gillatim futura novit, notionibus utitur indi- „visibilibus, & formâ externâ destitutis.

(c) *Ibid.* p. 137. (d) Id. in Orac. p. 102.

CA-

CAPUT XXXII.

De Cultu Deorum apud Chaldæos, & primùm quidem de Veri Dei Idololatrico cultu.

UT Chaldaïcam Doctrinam, præsertim quæ ad eos qui *Aschaphim* vocabantur, pertinet, enarrare pergamus, quales essent Dii, & quomodo apud Chaldæos colerentur, postremo loco videndum est.

Quamvis *Joannes Seldenus*, in aureo *de Diis Syris* libello, omnes Asiaticos Deos communi *Syrorum* nomine complexus fuerit; nos hìc eos tantùm ad examen vocabimus, qui propriè ad Assyriam spectabant; (seu ibi tantùm culti, seu inde in Syriam, aut aliò translati fuerint) insuper habitis reliquis; quippe qui nihil ad Chaldæos, seu Babylonios adtineant.

Cultus autem Deorum, apud Chaldæos, ad tres partes potest referri. Prima est cultus veri Dei, sed idololatrico ritu: Altera Dæmonum, vel spirituum; Tertia cœlestium corporum, & Elementorum.

Scriptor Chaldaïci Summarii testatur ab iis agnitum fuisse *omnium rerum Principium, idque unum & bonum*. Hoc *uno & bono* Principio intellectum ab iis fuisse verum Deum, ad quem hæc sola pertinent adtributa, colligere est ex *Eusebio*: qui dicit, verba faciens sine dubio de Zoroastris discipulis, ab iis agnitum primo loco (*a*) *Deum omnium parentem ac Regem*; unde

 Del-

(a) *Præp. Evang.* IV. c. 5.

Delphicum oraculum, à *Porphyrio* adlatum, (*b*) eos cum Hebræis jungit.

Sed licèt id oraculum dicat ab utrisque σεβασθῆναι θεὸν ἁγνῶς, dubium non est quin Chaldaïcus cultus idololatricus fuerit, aut quin iis aptari queat quod Paulus de Romanis dicit, quòd *cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificarint, sed immutaverint gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.*

Summo Numini nomen & imaginem (†) *Beli* tribuebant, ut liquet ex prohibitione Dei, quæ exstat Oseæ II, 16. *Non vocabis me ampliùs Bahali. Belus* enim Chaldæorum idem est ac *Bahal* Phœnicum, quâ voce Hebræi *dominum* significant. Beli autem Babylonici mentio, apud Esaïam & Jeremiam Prophetas, exstat. Qui primi Orientales disciplinas Græcos docuerunt plerique omnes vocem Βῆλος, vocabulo Ζεὺς, transtulerunt. Ita *Herodotus*, *Diodorus*, *Hesychius*, aliique. *Berosus*, ait Eusebius, *erat Sacerdos Beli, quem explicant* Δία *Jovem.* Cujus interpretationis ratio videtur esse, quòd quemadmodum Belus erat summus Deorum, apud Chaldæos: ita Jupiter supremum, apud Græcos, obtinebat locum; unde & hi Jovis, ut Babylonii Beli nomine, verum Deum intelligebant. Nam huic Paulus aptat hemistichium *Arati*: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν, *cujus & genus sumus*, cùm referatur ad primum versum (*) Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, *à Jove initium faciamus. Clemens Alexandrinus* (*c*) postquàm

(b) *Vide supra Cap. I.* (†) *Vide Indicem in voce hac.* (*) *Vide vocem* Jupiter. (c) *Strom. VI. p. 635. ex libro qui inscriptus erat Prædicatio Petri.*

quàm adtulit hæc verba Petri: τὸν θεὸν σέβεσθε, μὴ κατὰ τοὺς Ἕλληνας, *Deum colite, non secundùm Græcos*, ait Apostolum τὸν τρόπον τῆς σεβήσεως ἐναλλάττειν τοῦ Θεοῦ, οὐχὶ δὲ ἄλλον καταγγέλλειν, *mutare rationem cultûs divini, non alium adnunciare.*

Templum hujus Jovis Beli ab *Herodoto*, teste oculato, accuratè describitur (*d*): „ In altero
„ ambitu est Jovis Beli templum, æreis portis,
„ duorum undequaque stadiorum, figurâ qua-
„ dratâ. In medio templo est turris solida, cras-
„ situdine simul & altitudine stadii, cui alia rur-
„ sus superimposita turris, & huic subinde alia,
„ ad octavam usque. Forinsecus scalæ in cir-
„ cuïtu factæ sunt, per quas ad omnes adscen-
„ ditur turres. In medio scalarum est statio &
„ cellæ ad quiescendum, in quibus adscenden-
„ tes sedent ut requiescant. In extrema turri
„ magnum est templum, in quo medio est le-
„ ctus bene stratus, adjacente mensâ aureâ.
„ Nulla est eo in loco statua collocata, neque
„ quisquam pernoctat, exceptâ muliere indi-
„ genâ, quam Deus ex omnibus elegerit, ut
„ Chaldæi dicunt, qui sunt hujus Numinis sa-
„ cerdotes. Narrant etiam illi, tametsi mihi
„ parum credibile dicunt, Deum ipsum ingre-
„ dientem templum in hoc cubili conquiescere:
„ quemadmodum in Ægyptiis Thebis fieri etiam
„ aiunt Ægyptii. Ibi enim, in Thebani Jovis
„ fano, mulier quoque cubat. Utraque autem
„ mulier non creditur habere consuetudinem
„ cum viris; quod neque etiam creditur de Pa-
„ tarensi Antistita, quando eo munere contin-

M 7 „ git

(d) *Lib. I. c. 181.*

„git mulierem fungi &c. Porrò in Babylonico „templo eſt alterum ſacellum interius, quod „magnum habet Jovis ſimulacrum ſedens, id- „que aureum, ponè menſam & ipſam auream, „cujus ſcamnum & ſella ſunt etiam ex auro; „adeò ut Chaldæi octingentorum talentorum „auri opus æſtiment. Extra ſacellum altare eſt, „& ipſum aureum; atque præter hoc aliud al- „tare ingens, ubi integræ ætatis oves mactan- „tur; quandoquidem ſupra aureum non licet „ulla animalia occidere, præter lactentia. In „majore altari, Chaldæi quotannis centum mil- „lia talentorum libanoti adolent, quando huic „Deo feſtum diem celebrant. Erat etiamnum „illo tempore ſtatua duodecim cubitorum è ſo- „lido auro, quamvis hanc ego non viderim, „ſed ea referam quæ à Chaldæis narrantur. Hanc „ſtatuam Darius Hyſtaſpides inſidiosè captans, „non auſus eſt abripere; ſed eam poſtea Xerxes „abſtulit, ſacerdote, qui eam loco dimoveri pro- „hibuerat, interfecto.

Herodotus ait Sacerdotes Beli fuiſſe *Chaldæos*, R. verò *Maimonides* eoſdem ac ſacerdotes *Babalis* exiſtimat. Mentio occurrit feſti *Babalis* 2. Reg. X, 20. *Arrianus* etiam meminit Oraculi Beli, de quo & *Stephanus*, cujus verba adferemus in Proœmio ad *Oracula Zoroaſtris*. Apud *Arrianum* (a) Chaldæi Alexandro Babylonem adventanti aiunt λόγιον γεγονέναι σφίσιν ἐκ Θεοῦ τοῦ Βήλου *ſibi oraculum à Deo Belo editum*, ingreſſum in Babylonem hoc tempore Regi fauſtum non futurum.

(a) *Lib. VII. p. 159. Ed. Hen. Steph.*

CA-

CAPUT XXXIII.

Cultus aliorum Deorum, Angelorum & Dæmonum.

CHALDÆI, ſecundo loco, alios Deos, Angelos ac Dæmonas colebant: μεθ' ὅν, ait *Euſebius* (a) poſtquàm ſummum Deum nominavit, γένος τῶν θεῶν ὑπάρχει δεύτερον, *poſt quem eſt ſecundum genus Deorum*, *ſequens Dæmonum*, *quartum Heroum* Hoſce Deos diſtinguebant in varios ordines: (*) *Intelligibiles*; *Intellectuales & Intelligibiles*; *Intellectuales*; *Fontes*; *Principia*; *Deos certæ Zonæ*, *alios nulli adſtrictos*; *Angelos*, & *Dæmonas*. Ad horum cultum pertinet quod de Theürgia jam diximus.

(a) *Præp. Lib.* IV. *c.* 5. (*) *Vide Indicem in vocibus* Νοερὸς & Νοητός.

CAPUT XXXIV.

De cultu, quo Chaldæi cœleſtia corpora proſequebantur.

TERTIUM genus Idololatriæ Chaldæorum fuit cœleſtium corporum cultus, in quem, ut ſcribit *Maimonides*, (†) brevi poſt diluvium prolapſi ſunt. Inde fortè ortus eſt is cultus, cùm quòd Aſtris contemplandis multam operam po-

(†) *Vide Indicem in voce* Aſtra.

ponerent, tum quòd eorum maxima in genus humanum beneficia animo versarent.

Levitica lex, quâ Idololatria hæc vetatur, has ejus circumstantias describit: (a) *Ne fortè elevatis oculis ad cœlum, videas Solem & Lunam & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Inter Judæos idololatras, quos Rex Josias è medio sustulit, præter eos qui thymiamata offerebant Bahali, de quibus diximus, recensentur ii (b) *qui adolebant Soli & Lunæ & Planetis* (מזלות *Mazzaloth*) *& reliquo exercitui cœlorum.* Quod sine dubio à vicinis Assyriis, quos conqueritur Ezekiel exemplo iis fuisse, didicerant.

(a) *Deut. IV,* 19. (b) 2 Reg. XXIII, 5.

CAPUT XXXV.

De Sole.

SOL & Luna primi nominantur, & à ceteris distinguuntur Stellis; atque ab iis fortè cœpit Idololatria, priusquàm ad alias Stellas porrigeretur. In antiquissima Idololatriæ erga Astra mentione (a) quæ occurrit apud *Jobum*, qui Chaldæis vicinus erat, hæc duo Astra sola (†) nominatim appellantur. Ac sanè à Chaldæis Solem & Lunam præcipua Numina habita fuisse auctor est * *Maimonides*, qui testatur quidem reliquos septem Planetarum Deorum numero ad-

(a) *Vide Indicem in* Idololatria. (†) C. XXXI, 27.
* *In lib. de cultu externo, init.*

adscriptos, sed duo amplissima Lumina maxima fuisse Numina ait.

Idem addit Solem omnium † summum creditum. Quæ, in horum confirmationem, ex libris Sabæorum, adfert, de Abrahamo & similia, infrà à nobis indicabuntur. *Macrobius* meminit trium Idolorum apud Assyrios, * Soli dicatorum, quorum unum erat *Adadi*; alterum *Adonidis*, tertium *Jovis Heliopolitæ: Deo*, inquit, (b) *quem summum maximúmque venerantur*, Adad *nomen dederunt; ejus nominis interpretatio significat Unum. Hunc ergo, ut potentissimum adorant Deum, sed subjungunt ei Deam nomine Adargatim, omnémque potestatem cunctarum rerum his duobus adtribuunt, Solem, terrámque intelligentes &c. Simulacrum Adad insigne cernitur, radiis inclinatis; quibus monstratur vim cœli in radiis esse Solis, qui demittuntur in terram. Adargatis simulacrum sursum versùm reclinatis radiis insigne est; monstrando radiorum vi supernè missorum enasci quæcumque terra progenerat.*

Sed quando adfirmat voce *Adad* significari *unum*; aut ipse fallitur, aut ejus verba depravata sunt; nam, ut observavit. *Joan. Seldenus*, apud Syros & Chaldæos *Chad* חד ab Hebraïco *Echad* אחד significat *unum*, *Adad* verò aut *Adod* aliter scribitur.

Joan. Drusius apud *Macrobium* legit *Hhada* חדא, quod Syriacè significat *unum*. De hoc idolo fortè intelligendus Esaïas LXVI, 17. *Qui sanctificantur & mundantur in hortis post Unum:* nem-

† *Mor. Neb. Pag. III. cap.* 29. * *Vide Indicem in voce* Sol.
(b) *Sat. Lib. I. cap.* 23.

nempe, in hortis dicatis idolo quod erat post Templum, subintelligendum enim, ait Josephus Scaliger, Templum ponè Templum.

Adonis nomen derivatur ab ארון Adon Dominus. Adonin autem, ait Macrobius (c) Solem esse non dubitatur, inspectâ Religione Assyriorum, apud quos Veneris Architidis & Adonis maxima olim veneratio viguit, quam nunc Phœnices tenent. Nam Physici terræ superius hemisphærium, cujus partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt, inferius verò hemisphærium terræ Proserpinam vocaverunt. Ergo apud Assyrios, sive Phœnices, lugens inducitur Dea, quod Sol annuo gressu per duodecim signorum ordinem pergens partem quoque hemisphærii inferioris ingreditur; quia de duodecim signis Zodiaci sex superiora, sex inferiora censentur. Et cùm est in inferioribus, & ideò dies breviores facit, lugere creditur Dea; tamquam Sole raptu mortis temporalis amisso, & à Proserpina retento, quam Numen terræ inferioris circuli & Antipodum diximus. Rursúmque Adonin redditum Veneri credi volunt, cùm Sol, evectis sex signis annuis inferioris ordinis, incipit nostri circuli lustrare hemisphærium, cum incremento luminis & dierum.

Ultimum simulacrum Solis Jovis Heliopolitæ nomine insignitum erat. Assyrii quoque Solem, ait idem Scriptor, (d) sub Jovis nomine, quem Δία Ἡλιοπολίτην cognominant, maximis cærimoniis celebrant, in civitate quæ Heliopolis nuncupatur. Ejus Dei simulacrum sumtum est de oppido Ægypti quod & ipsum Heliopolis appellatur, regnante apud Ægyptios Senemure, seu idem Sene-

(c) Saturnal. Lib. I. cap. 21. (d) Ibid. cap. 23.

Senepsos nomine fuit; perlatúmque est primum in eam, per Oppiam legatum Deleboris Regis Assyriorum, Sacerdotésque Ægyptios, quorum princeps fuit Partemetis; diúque habitum apud Assyrios, postea Heliopolin commigravit. Cur ita factum, quáque ratione Ægypto profectum in hæc loca, ubi nunc est, postea venerit, ritúque Assyrio, magis quàm Ægyptio colatur, dicere supersedeo, quia ad præsentem non adtinet causam. Nunc verò eumdem Jovem, Solémque esse, cùm ex ipso Sacrorum ritu, tum ex habitu dignoscitur. Simulacrum enim aureum (ex hoc metallo ait fuisse Maimonides talismanes Chaldæorum Solares) specie imberbi instat, dextrâ elevatâ, cum flagro in aurigæ modum, lævâ tenet fulmen & spicas. Quæ cuncta Jovis, Solisque consociatam potentiam demonstrant. Hujus Templi Religio etiam divinatione præpollet, quæ ad Apollinis potestatem refertur, qui idem atque Sol est. Vehitur enim simulacrum Dei Heliopolitani ferculo, veluti vehuntur in pompa ludorum Circensium Deorum Simulacra, & subeunt plerumque Provinciæ Proceres, raso capite, longi temporis castimoniâ puri; ferunturque divino spiritu, non suo arbitrio, sed quò Deus propellit, vehentes; ut vidimus apud Antium promoveri simulacra Fortunarum, ad danda responsa. Consulunt hunc Deum & absentes, missis diplomatibus consignatis, rescribitque ordine ad ea quæ consultatione additâ continentur. Sic & Imperator Trajanus initurus ex ea Provincia Parthiam cum exercitu, constantissimæ religionis hortantibus amicis, qui maxima hujusce Numinis ceperant experimenta, ut de eventu consuleret rei cœptæ, egit Ro-

Romano consilio, priùs explorando fidem Religionis, ne fortè fraus subesset humana. Et primùm misit signatos codicillos, ad quos sibi rescribi vellet. Deus jussit adferri chartam, eámque adsignari puram & mitti, stupentibus Sacerdotibus ad ejusmodi factum; ignorabant quippe conditionem codicillorum. Hos cum maxima admiratione Trajanus excepit, quòd ipse quoque puris tabellis cum Deo egisset. Tunc aliis codicillis scriptis, consignatisque consuluit, an Romam, perpetrato bello, rediturus esset. Vitem centurialem Deus, ex muneribus in æde dicatis, deferre jussit, divisámque in partes sudario condi, ac proinde ferri. Exitus rei obitu Trajani adparuit, ossibus Romam relatis. Nam fragmentis species reliquiarum, vitis argumento casûs futuri tempus ostensum est. Et ne sermo per singulorum nomina Deorum vagetur, accipe quid Assyrii de Solis potentia opinentur. Deo enim, quem summum maximúmque venerantur, Adad nomen dederunt, &c.

Hisce addendum nomen Beli, quod, summo Numini peculiare licèt, attamen & aliis Chaldæorum Diis, ac inter alios Soli adtribuitur, auctore *Servio: (e) Linguâ Punicâ*, inquit, BAL *Deus dicitur; apud Assyrios autem* BEL *dicitur, quadam Sacrorum ratione, & Saturnus* & Sol.

(e) *In Æneid. I.*

CA-

CAPUT XXXVI.

De cultu, quo Chaldæi Lunam prosequebantur.

LUNA apud Chaldæos colebatur sub variis nominibus, quæ omnia erant fœminini generis, & Solis nominibus respondebant; quo confirmari videtur quod dicit *Maimonides*, septem Planetas à Chaldæis habitos fuisse Deos & Deas unà connubio conjunctos.

Chaldæi, vel potiùs Græci Chaldaïcarum disciplinarum interpretes, Solem cùm aliis, tum Jovis, & *Adonidis* nominibus insigniebant, Lunámque *Junonem* & *Venerem* ex adverso adpellabant.

Voci *Juno* respondebant Chaldaïcæ voces * *Ada* & *Belta*, eas enim sic interpretatur *Hesychius*, Ἀδὰ, ὑπὸ Βαβυλωνίων ἡ Ἥρα. Item: Βέλθης, ἡ Ἥρα, ἡ Ἀφροδίτη, vel *Venus*.

Hæc duo nomina videntur esse ea nomina fœminini generis, quæ respondebant masculinis *Adaa* & *Belus*, geminis Solis vocabulis. Junonem apud Mythologos esse eamdem ac Lunam probavit eruditissimus *Seldenus*, ex antiqua formula invocationis, quâ Sacerdotes Romani Nonis, unoquoque mense, utebantur: *dies te quinque calo, Juno novella*, vel *covella*, seu cœlestis. Atque ad hanc Junonem fortè peculiariter referendum, quod *Julius Firmicus* (a) Aëri adtribuit: *Assy-*

* *Vide Indicem in voce utraque.* (a) *De Err. Prof. Rel. p. 2. Edit. Wower.*

Aſſyrii aërem ducatum elementorum habere volunt, nam hunc eumdem nomine Junonis, vel Veneris Virginis, ſi tamen Veneri placuit aliquando virginitas, conſecrarunt &c. Effœminarunt ſanè hoc elementum, neſcio quâ veneratione commoti. Num quia aër interjectus eſt inter mare & cœlum, effœminatis eum Sacerdotum vocibus proſequuntur?

Sed Aëris Elementum (*b*) ab Aſſyriis cultum non facilè alibi reperias, & quod addit, de impudico cultu, videtur potius pertinere ad Veneris Sacra, prout ab aliis ex Veteribus deſcribuntur.

Veneris, ubi pro Luna ſumitur, nomina ſunt *Mylitta* & *Alilat*. *Herodotus* auctor eſt Perſas didiciſſe ab Aſſyriis & Arabibus Sacra facere *Uraniæ*, quam Aſſyrii *Venerem Mylittam*, Arabes (hoc eſt *Sabæi*, de quibus dicemus) *Alilat* vocaverunt. Videtur quidem *Herodotus* hanc Mylittam, à Luna, de qua paullò anteà loquutus erat, diverſam ſtatuere; attamen non aliam fuiſſe ſuadet Etymologia nominis, quod à *Lail* ליל *nox* deducitur: *Veteres*, ait Sihal Aſſemon, *inter multos alios falſos Deos, unum coluerunt, quem vocabant Alilath, adfirmabántque eſſe Lunam, noctis dominam ac reginam.*

(b) *Vide Indicem in voce* Aër.

CA-

CAPUT XXXVII.

De Cultu, quo reliquos Planetas proſequebantur Chaldæi.

RELIQUOS quinque Planetas, auctore *Maimonide*, Deos etiam eſſe putabant. Nomen *Beli*, pluribus commune, tribuebant etiam *Saturno*, quem *Diodorus* (niſi verba ejus corrupta ſint, quod ſuſpicor) adfirmat potiſſimum Planetarum reliquorum à Chaldæis eſſe habitum. *Euſebius*, 28 anno *Thare*, ait mortuum eſſe primum Aſſyriorum Regem Belum, quem Aſſyrii Deum vocitant, alii verò Saturnum. *Servius* alibi laudatus: *Linguâ Punicâ* Bal *Deus dicitur; apud Aſſyrios autem* Bel *dicitur, quâdam ſacrorum ratione, & Saturnus & Sol.* Hinc *Theophilus* Patriarcha (*a*) Antiochenus: ἔνιοι μὲν σέβοντες τὸν Κρόνον, καὶ τοῦτον αὐτὸν ὀνομάζουσι Βὴλ καὶ Βὰλ, μάλιστα οἱ οἰκοῦντες ἀνατολικὰ κλίματα &c. *Nonnulli quidem colunt Cronum & hunc vocant* Bel & Bal, *præſertim qui Orientalia Climata incolunt, neſcii quis ſit Cronus & quis ſit Belus.*

Quidam putant proprium nomen Saturni fuiſſe *Chiun*, vel *Remphan*, de quo Amos V, 26. *Portaſtis Tabernaculum veſtri Moloch & Chiun veſtrarum imaginum, ſtellas Dei veſtri quem feciſtis vobis.* Quæ verba ita vertit Stephanus, Act. VII, 43. *Suſcepiſtis tabernaculum Moloch & ſidus Dei veſtri* (*) *Remphan, figuras, quas feciſtis*

(a) *Lib. III. ad Autolyc. ſub fin. Vide Indicem in Baal.*
(*) *Vide Indicem in hac voce.*

ciſtis adorare eas , ἄϛρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφὰν , τοὺς τύπους οὓς ἐποιήσατε. Vocem *Chiun* Græci Interpretes vertêre *Remphan.* Aben Ezra intelligit etiam Planetam Saturni, quem *Plautus* quoque, ut obſervavit *Sam. Petitus*, vocat *Chiun. Rephan*, teſte *Athan. Kirchero* , appellatur etiamnum hodie à Coptis idem Planeta.

Nihil eſt quod addamus iis, quæ de *Jove* diximus, ubi de Belo & Sole, quorum uterque Jupiter vocatur , egimus.

Mars, (*) ſi credimus Scriptori *Chronici Alexandrini*, ab Aſſyriis primis omnium Deus agnitus eſt: *Aſſyrii*, inquit, *primi erexere columnam Marti*, *eumque inſtar Dei coluerunt.* Hunc etiam nomine communi *Beli* adfecerunt, unde *Babylonicus Belus* ab *Heſtiæo* explicatur Ζεὺς ἐνυάλιος *Jupiter Martius.* Sed nomine magis proprio Mars vocabatur *Azizus*, ſub quo colebatur unà cum Mercurio , in templo Solis *Edeſſæ* , quæ Metropolis fuit Meſopotamiæ: „ Qui Edeſſam „ habitant, (*b*) ait *Julianus*, regionem ab æterno Soli dicatam, *Monimum* & *Azizum* Solis „ adſeſſores & contubernales faciunt. Μόνιμον, καὶ Ἄζιζον συγκαθιδρύουσι. *Monimo* intelligi Mercurium , *Azizo* Martem , atque ambos Solis eſſe adſeſſores à Magiſtro ſuo *Jamblicho* Julianus ſe didiciſſe fatetur.

Quidam idolum *Nergal* (*c*) à Samaritanis ex Aſſyria allatum huc referunt , Rabbini enim opinantur hoc idolum ſimile gallo gallinaceo fuiſſe; atque aliunde conſtat (*d*) Gallum fuiſſe ſacrum

(*) *Vide Indicem in voce* Mars. (b) *Or. IV. pag.* 281. *Ed. Petaviana.* (c) 2. *Reg. XVII.* 90. (d) *Ariſtophan. Schol, in Aves pag.* 580. *Edit. Gen,*

ſacrum Marti, ejúſque avem, propter animos, vocatum; unde colligunt Martis formam fuiſſe Galli formæ ſimilem: quemadmodum Venerem putant Gallinæ ſpecie effictam, & vocatam *Succoth Benoth.*

Venus à Chaldæis celebratur, ſub variis nominibus , quorum tria apud *Heſychium* occurrunt. Primum eſt *Beltis* , vel potiùs *Belta*, quod interpretatur Junonem & Venerem , & quod illi commune fuit cum Luna, qua de re jam diximus. Alterum nomen eſt *Delephat*, quod magis proprium Veneri fuit, ut adparet ex ejus Etymologia, nam *Delpha* דלפא Syriacè eſt *coitus.*

Poſtremum eſt *Myleta* , ut habet *Heſychius*, qui ita ab Aſſyriis vocatam fuiſſe Uraniam ſubjicit. *Herodoti* exemplaria, ut vidimus, habent *Mylitta. Alilat*, ut obſervavimus, etiam Lunæ tribuebatur; ſed Mylitta videtur proprium Veneri, cùm ſit, *Joſ. Scaligero* obſervante , pura puta Syriaca vox *Molidtha* מולידתה, quæ *prolificam* ſignificat. Cum hac Etymologia optimè convenit ritibus, qui in ejus cultu uſurpabantur, ita (*e*) ab *Herodoto* deſcriptis : „ Turpiſſima le„gum Babylonicarum hæc eſt. Nempe, omni„bus mulieribus indigenis commune eſt, ſemel „in vita , ad templum Veneris deſidentibus, „cum peregrinis conſuetudinem habere. Plu„rimæ autem mulieres, quæ præ divitiis ſuper„bæ ſe aliis miſcere non dignantur, vehiculis „cameratis vectæ pro templo conſiſtunt, relictâ „interim à tergo magnâ famulitii turbâ. At „pleræque ſic faciunt. Ad templum permultis

Tom. II. N „ſedent

(e) *Lib. I. cap.* 199.

„ſedent nodis, corolliſque caput revinctæ; & „hæ quidem accedunt, aliæ verò abeunt. Di- „verticula autem, *funiculis* diſtincta, aditum „præbent peregrinis quam voluerint electuris. „Cùm ſemel illic ſedit mulier, non priùs domum „regreditur quàm hoſpitum aliquis pecuniam in „ſinum injecerit, & cum ea à fano ſeorſim ab- „ducta rem habuerit. Hoſpitem autem illum, „qui pecuniam obtulit, dicere oportet: *Tibi fa-* „*ventem opto Deam Mylittam*; Mylittam enim „Aſſyrii Venerem appellant. Pecuniam porrò „illam, quantulacumque ſit, non fas eſt rejice- „re: ſiquidem ſacra ſit. Nec mulieri etiam li- „cet hoſpitem aliquem repudiare, ſed quicum- „que pecuniam injecerit primus, hunc illa ſe- „quitur citra delectum. Poſtremò ubi jam con- „greſſa fuerit cum hoſpite mulier, ſacris Deæ „factis, domum revertitur. At deinceps nihil „tam magnum eſt, quo dato potiri illis poſſis. „Porrò quæ formâ ſunt elegantiore, citiùs diſce- „dunt; quæ verò deformes, diutiùs coguntur „exſpectare, cùm legem implere nequeant; ete- „nim tres, aut quatuor annos continuos ex- „ſpectant. Hactenus *Herodotus*.

De eadem conſuetudine, quidam interpretantur (*a*) *Baruchi* Prophetæ verba de Chaldæis mulieribus: αἱ δὲ γυναῖκες περιθέμεναι σχοινία ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐγκάθηνται, θυμιῶσαι τὰ πίτυρα. ὅταν δέ τις αὐτῶν ἐφελκυσθεῖσα ὑπό τινος τῶν παραπορευομένων κοιμηθῇ, τὴν πλησίον ὀνειδίζει, ὅτι οὐκ ἠξίωται ὥσπερ καὶ αὐτή, οὔτε τὸ σχοινίον αὐτῆς διερράγη. Interprete vulgato: *Mulieres autem circumdatæ funibus in viis ſedent, ſuccendentes oſſa olivarum. Cùm autem ali-*

(*a*) *Cap. VI. 42. in Epiſt. Jeremiæ.*

aliqua ex ipſis adtracta, ab aliquo tranſeunte, dormierit cum eo, proximæ ſuæ exprobrat, quòd ea non ſit digna habita ſicut ipſa, neque funis ejus diruptus ſit.

Hiſce addendum *Succhoth Benoth* סכות בנות Idolum Babylonicum, cujus mentio occurrit 2. Reg. XVII, 30. Eæ voces ſignificant *tentoria puellarum*, quibus nonnulli putant deſignari ea Tentoria, ſeu diviſa loca per funes, quorum meminit *Herodotus*, & ubi mulieres ſedebant exſpectantes, donec Veneri Mylittæ corpore litaſſent. Vocabulum *Veneris*, conjectore *Seldeno*, derivatum etiam eſt à voce Benoth. Sed ex vocibus Scripturæ *Succhoth Benoth* potiùs eſſe nomen idoli, quàm Templi, aut Tentorii ſatis liquet. Rabbini fingunt hoc numen fuiſſe inſtar gallinæ cum pullis: *Nam*, inquit R. D. Kimchi, *ut vocant Gallinam* ſuccha, *à tegendo, ita Gallinas vocant* ſucchoth, *à tegendo.* Benoth *autem interpretantur pullos; quos ſolent Gallinæ alis ſuis tegere.* Hinc *Athan. Kircherus Mylittam* Venerem fuiſſe colligit.

CAPUT XXXVIII.

De aliis Stellis.

NEQUE ſoli Planetæ, ſed etiam ſigna Zodiaci, ac reliquæ ſtellæ Dii à Chaldæis habebantur, adolebant enim τοῖς *Mazzaloth & reliquo exercitui cœlorum* 2. Reg. XXIII, 5. (†) *Mazzal* autem eſt ſtella, ideóque vocabant ſigna duodecim *Mazzaloth*, & Zodiacum *circu-*

N 2 *lum*

(†) *Vide Indicem in hac voce.*

lum Mazzaloth Interdum mutant *Lamed* in *Resch*, & vocant *Mazzaroth*. Septuaginta quoque Intt. habent μαζουρὼθ, quod *Suidas* interpretatur *conſtellationes* dictas ζώδια. Hoc cum eo quod habet *Diodorus* conſentaneum eſt, qui ait à Chaldæis duodecim habitos eſſe præcipuos Deos; quorum unicuique menſem, atque unum Zodiaci adtribuerint ſignum.

Ab iiſdem cultas fuiſſe reliquas ſtellas inerrantes, adparet ex Scripturæ verbis laudatis, in quibus *toti cœlorum exercitui* ſacra feciſſe dicuntur; atque hoc etiam diſertè adfirmat *Diodorus*, qui ubi doctrinam Chaldæorum tradit, ait Planetas ab iis *Interpretes* vocatos; alias verò ſtellas partim *omnium rerum Judices*, partim *Conſiliarios Deos* dictas, ut oſtendimus ſuprà Cap. XVII. Neque dubium eſt quin, uti quaſdam ſtellas fixas ornarunt communi nomine dignitatum, *Judicum & Conſiliariorum:* ita etiam præcipuis ſingula nomina, & idola, ut Planetis, ſtatuerint. Et quoniam Chaldaïcus Polytheïſmus non nitebatur, veluti Græcorum πολυθεότης, commentitiâ Mythologiâ, quamvis Recentiores Scriptores de utraque ſimiliter egerint; ſed referebatur ad cœleſtia corpora, quæ ſub variis nominibus & imaginibus colebant: veriſimile & conſentaneum Chaldaïcæ doctrinæ eſt, Aſſyriaca illa idola, *Aſchima*, *Nergal*, *Nibhar*, *Tarthac*, *Anamelech*, *Adramelech*, *Niſroch*, quæ in Scriptura recenſentur, ejuſdem ac reliqua generis fuiſſe, & ad alias pertinuiſſe ſtellas. Verùm non facile eſſet hanc comprobare conjecturam, quoniam de hiſce idolis vix quidquam, præter nuda nomina, memoriæ proditum eſt.

CA-

CAPUT XXXIX.

De Igne, Aëre & Terra.

SUNT qui, inter Numina Chaldæorum, Elementa memorent. Sanè conſtat eos peculiari cultu ignem proſequutos, ſeu, ut quidam opinantur, ſummum Deum igneâ imagine, ſeu, ut alii, Solem effinxerint; cujus rei rationes ſuprà adtulimus.

Ad Pyrolatriam hanc quod adtinet, memoratu digna eſt, quæ à *Rufino* (*a*) narratur, Hiſtoria: (†) *Ferunt aliquando Chaldæos Ignem Deum ſuum circumferentes cum omnium Provinciarum Diis habuiſſe conflictum, quò ſcilicet qui viciſſet hic eſſe Deus ab omnibus crederetur. Reliquarum Provinciarum Dii æris aut auri, argentique, aut ligni, vel lapidis, vel ex quacumque materia conſtabant, quæ per ignem proculdubio corrumperetur. Ex quo fiebat ut Ignis locis omnibus obtineret. Hæc cùm audiſſet Canopi Sacerdos, callidum quiddam excogitavit. Hydriæ fieri ſolent in Ægypti partibus fictiles, undique crebris & minutis admodum foraminibus patulæ, quibus turbida aqua deſudans defecatior ac purior redditur. Harum ille unam cerâ foraminibus obturatis, deſuper etiam variis coloribus pictam, aquâ repletam ſtatuit ut Deum. Et exciſum veteris ſimulacri, quod Menelai gubernatoris ferebatur, caput deſuper poſitum diligenter aptavit. Adſunt poſt hæc Chaldæi, itur in conflictum, circa Hydriam ignis accenditur; cera, quâ foramina fuerant obturata, reſolvitur, ſudante* Hy-

(a) *Hiſt. Eccl. Lib. II. c. 26.* (†) *Vide Indic. in voce* Canopus.

Hydriâ ignis exstinguitur. Sacerdotis fraude, Canopus Chaldæorum victor ostenditur. Idem habet *Suidas* in voce Κάνωπος.

De Aëre ita *Julius Firmicus* (*b*): *Assyrii & pars Afrorum aërem ducatum habere elementorum volunt. Nam hunc eumdem nomine Junonis, vel Veneris Virginis, si tamen Veneri placuit aliquando virginitas, consecrarunt &c. Effœminarunt sanè hoc elementum, nescio quâ veneratione commoti. Num quia aër interjectus est inter mare & cœlum, effœminatis eum Sacerdotum vocibus prosequuntur? Dic mihi hoccine est quod in viro fœminam quærunt, cui aliter servire Sacerdotum chorus non potest; nisi effœminent vultum, cutem poliant, & virilem sexum ornatu muliebri dedecorent.* (*c*)

Ad Terram quod adtinet, sic loquitur (*d*) *Macrobius*; *Physici superius Hemisphærium Terræ, cujus partem incolimus, Veneris adpellatione coluerunt; inferius verò hemisphærium terræ* (*e*) *Proserpinam vocaverunt.* Circa hanc Mythologiam, Phœniciam potiùs quàm Assyriam, imò fortè potiùs Græcam quàm Orientalem, plura apud *Macrobium* legi poterunt. Atque hæc de Chaldæorum doctrina, dicenda habuimus.

(b) *De errore profanar. Religionum. p. 2. Edit. Wouveriana.*
(c) *Vide Indicem in voce* Aër. (d) *Lib. I. Saturn. c. 28.*
(e) *Vide Indicem in voce* Terra.

PHILOSOPHIÆ ORIENTALIS

LIBER SECUNDUS, DE PERSARUM PHILOSOPHIS.

PROOEMIUM.

ULTRA Chaldæam, ad Meridiem, inde est *Persis*, hinc *Arabia*. Persæ autem & Arabes omnem suam eruditionem debuere vicinis Chaldæis. Zoroastres, auctore *Plutarcho*, (*a*) Magorum inter Chaldæos institutor fuit, quos imitati Persæ suos etiam habuerunt. *Persis* maximum est Asiæ regnum, quod ad Septemtrionem habet *Mediam*, ad Orientem (†) *Carmaniam*, ad Occidentem *Susianam*, ad Meridiem *Persici* sinûs partem.

(a) *De Iside & Osir.* (†) *Vide Indicem in voce* Carmania.

CAPUT I.

De Zoroaſtre Perſa, Philoſophiæ inter Perſas inſtitutore.

PERSICÆ Philoſophiæ inſtitutorem fuiſſe *Zaradem*, *Zaraduſſit*, aut *Zoroaſtrem* in confeſſo eſt; verùm hoc nomen, uti anteà obſervavimus, videtur eximiæ eruditionis viris commune fuiſſe. Quis ergo Zoroaſtres hic fuerit, aut quâ ætate vixerit non conſtat. (*a*) *Diogenes Laërtius* Perſidem ei patriam, (*b*) *Clemens Alexandrinus* Mediam tribuit, *Suidas Perſo-Medum* vocat. Unde colligi poteſt non tantæ eum fuiſſe antiquitatis, ac multi exiſtimant. Neque enim nomen Perſarum, ante tempora Ezekielis Prophetæ, uſurpatum fuiſſe comperimus, neque ante ætatem *Cyri* celebritatem ullam erat adſequutum. Poſteriores Perſæ, ut teſtatur *Agathias*, (*c*) aiunt eum vixiſſe ſub *Hyſtaſpe*, ſed quis fuerit hic Hyſtaſpes non docent, nec ſcire eſt utrum Hyſtaſpes hic fuerit pater Darii, an alius. Hyſtaſpes Darii pater æqualis *Cyro* fuit, neque conſtat, Perſam Zoroaſtrem multò antiquiorem fuiſſe.

Sed quocumque tempore vixerit, ait idem Agathias, *auctor fuit atque introductor Magicæ Religionis inter Perſas, mutatiſque eorum antiquis ritibus ſacris, varias opiniones induxit.* Arabs Hiſtoricus (*d*) ab eo non inſtitutam ſed reſtitutam

(a) *In Procem.* (b) *Strom. Lib. I. p.* 334. (c) *Lib. II. initio.*
(d) *Elmacinus.*

tutam Perſarum ac Magorum Religionem, quæ in varias ſectas diviſa erat, auctor eſt.

Fabuloſam narrationem occaſionis & rationis quibus id factum, prout à Perſis narrabantur, accipe à (*e*) *Dione Chryſoſtomo*: *Aiunt eum, amore ſapientiæ & juſtitiæ, ſe hominum commercio ſubduxiſſe & ſolitariam in monte quodam vitam egiſſe: poſtmodum verò cùm abiret à monte, ingentem ignem ſupernè delapſum perpetuò arſiſſe; tum Regem, cum Perſarum nobiliſſimis, Deo preces fuſurum acceſſiſſe; Zoroaſtrem autem intactum ex igne egreſſum, propitium adparuiſſe, juſſiſſéque Perſas bono animo eſſe, & quædam ſacra feciſſe, quaſi Deus in eum uſque locum ipſi comes fuiſſet; inde Zoroaſtrem cum omnibus promiſcuè hominibus non eſſe verſatum, ſed cum iis tantùm qui naturâ veritati dediti erant, & Deorum cognitionis capaces; quos homines Perſæ Magos vocant.*

Huic Zoroaſtri Perſæ *Suidas* (*f*) adſcribit *de natura* libros quatuor, *de gemmis* unum, *Aſtroſcopica Apoteleſmata* quinque; *Euſebius* (*g*) *Perſicorum ſacram collectionem*, in qua videtur de Perſica Religione egiſſe, ut ex fragmentis ab *Euſebio* laudatis colligere eſt. Quidam hæc Zoroaſtri Chaldæo, alteri cuipiam alii, nemine interea majorem certitudinis ſpeciem præ ſe ferente, tribuunt.

(e) *In Boryſtenica pag.* 448. *Ed. Paris.* (f) *In Zoroaſt.*
(g) *Præp. Evang. Lib. I. c.* 7.

CAPUT II.

De Hystaspe, summo Philosophiæ Persicæ provectore.

PERSARUM Magorum eruditio ab *Hystaspe* multùm adaucta. Oriundus, secundùm *Herodotum*, (*a*) erat ex *Achæmenia* Persidis regione, filiúsque *Arsamenis* seu, ut alii Codices habent, *Arsacis*. Vixit tempore Cyri, cujus somnium de *Dario*, Hystaspis primogenito, quo somnio eidem Dario regnum portendebatur, sermonésque ea de re Cyri & Hystaspis, narrantur ab *Herodoto*. Darius natus est an. 4165. Julianæ Periodi, neque obiit Cyrus antequàm is vigesimum ætatis annum adtigisset. Circa eadem etiam tempora (*b*) *Hystaspes & Adusius*, junctis copiis, totam eam Phrygiæ partem, quæ Euxino Ponto adjacet, subegere, Regémque ejus captivum ad Cyrum adduxere.

Hystaspes, ut prodidit (c) *Ammianus Marcellinus*, vir fuit *prudentissimus*, *qui cùm superioris Indiæ secreta fidentiùs penetraret*, *ad nemorosam quamdam venerat solitudinem*, *cujus tranquillis scientiis præcelsa Brachmanorum ingenia potiuntur*; *eorúmque monitu*, *rationes mundani motûs & siderum*, *purósque sacrorum ritus*, *quantum colligere potuit*, *eruditus ex his quæ didicit aliqua Magorum sensibus infudit.*

(a) *Lib. I. c.* 209. (b) *Xenoph. Inst. Cyr. Lib. VII.*
(c) *Lib.* XXXIII. *c.* 6.

CA-

CAPUT III.

De Osthane, qui primus Persarum Disciplinas Græciæ intulit.

PLINIUS (*a*) perhibet *Osthanem* Xerxis, in eo bello quod Græciæ intulit, comitem, *velut semina artis portentosæ sparsisse*, *obiter infecto*, *quacumque commeaverat*, *mundo*. Hunc præterea primum de Arte Magica *commentatum*, *uti inveniebat*, ait. Xerxes est egressus Susis, ad hanc expeditionem, anno quarto LXXIV. Olympiadis; licèt *Diodorus Siculus*, gesta biennii in annum unum conjiciens, initium expeditionis referat ad annum primum sequentis Olympiadis. (*b*) *Herodotus* vult tres annos in adparatu hujus belli consumtos, sed temporis indicium in præcedenti Capite habet, quod cum annorum serie non consentit. Ait enim à subacta Ægypto à Xerxe, quatuor integros annos consumtos in colligendis copiis, & adparatu faciendo; initio autem quinti anni, cum maximo exercitu movere cœpisse. Nam Susis quidem egressus est initio quinti anni, at ex quo regnum auspicatus fuerat, non ab Ægypto subacta. Ita & (*c*) *Justinus* ex *Trogo*, & *Orosius* eum sequutus, inconsultè quinque annos eidem negotio adtribuunt. Sed absurdissimè *Julianus*, in I. Orat. de Laudibus *Constantii*, in adparando bello Xerxem decennium trivisse ait.

N 6 Ac-

(a) Lib. XXX. c. 1. (b) *Lib.* VII. c. 21.
(c) Lib. II. c. 20.

Accuratior eſt (*d*) *Libanius* qui dicit à Dario & Xerxe ſimul abſumtos eſſe decem annos, in bello in Græciam adparando, licèt non prorſus rectè ſupputet; quoniam à pugna *Marathonia* ad *Salaminiam*, quæ commiſſa eſt anno primo Olympiadis LXXV. ferè anno peracto, poſtquàm Xerxes Suſis movit, ſunt tantùm decem anni elapſi.

Hinc apparet *Pythagoram & Platonem*, qui antiquiores fuere Oſthane, & in itineribus ſuis cum Magis verſati fuerant, eorum diſciplinarum intima non penetraſſe; vel, quòd cautiores eſſent, quæ de iis norant non vulgaſſe, niſi ea immiſcendo iis quæ ſibi propria eſſe volebant.

Plinius, poſt verba allata, ſubdit: *hic maximè Oſthanes ad rabiem, non aviditatem modò ſcientiæ ejus Græcorum populos egit.* Reſpicit *Goëticam* Magiam, cujus imperitos fuiſſe Magos prodiderat ſcriptor (*e*) libri, qui Μαγικὸν inſcriptus fuit. *Minucius Felix* (*f*) honorificentiùs de eo loquitur, aitque eum fuiſſe *Magorum eloquio & negotio primum, verum Deum meritâ Majeſtate proſecutum, & Angelos veri Dei adſiſtere noviſſe*, aliáque ſimilia.

Ab Oſthane, ut diximus, eruditio Perſarum adlata fuit in Græciam; ideóque eorum nomina, qui ei apud Perſas poſtea addicti fuerunt, ulteriùs non inquiremus.

(d) Ἐν βασιλικῷ. (e) *Diog. Laërt. in Proœm.* (f) *In Octavio.*

CAPUT IV.

De inſtitutione Magorum.

APUD Perſas, quicumque litteras profitebantur vocabantur *Magi*. (†) Laërtius *in Proœmio: Philoſophiæ rem ipſam à barbaris cœpiſſe quidam adfirmant; eſſe etenim apud Perſas Magos, apud Babylonios & Aſſyrios Chaldæos, apud Indos Gymnoſophiſtas; apud Celtas ſeu Gallos Druidas & Semnotheos dictos, ut ait Ariſtoteles in Magico, & Sotion in vigeſimo tertio ſucceſſionis libro.* Sed cùm præcipuum Magorum ſtudium ac munus circa Theologiam & Religionis ritus verſaretur, *Magus* frequentiùs dicitur eſſe *Sacerdos*. Inter Perſas, (*a*) ait *Porphyrius*, *Sapientes, qui Numinis contemplationi ac cultui addicti erant, vocabantur Magi; atque hæc eſt vocis, eorum Dialecto, ſignificatio.* Apuleius Apol. (*b*) I. *Perſarum linguâ Magus eſt, qui noſtrâ Sacerdos.* Heſychius: Μάγον, τὸν θεοσεβῆ καὶ θεόλογον καὶ ἱερέα οἱ Πέρσαι λέγουσι: *Magum, pium & Theologum & Sacerdotem Perſæ vocant.*

A Zoroaſtre, cùm primùm inſtituerentur, ita adpellatos quidam exiſtimant. *Suidas*, in voce Zoroaſtres, ait hunc ἄρξασθαι ὀνόματος Μάγων, *initium dediſſe Magorum nomini.* Alii deducunt hoc nomen à *Mog* (*c*) quod Zoroaſtris proprium nomen fuerit; (*d*) alii à *Mije-guſch*,

(†) *Vide Indicem in voce* Magus. (a) *De Abſt. Lib. IV.* (b) *Pag. 32. Ed. Caſaub.* (c) *Salmaſius de Hellen. p. 368.* (d) *Pococ. Spec. Arab. p. 146.*

hoc eſt, *brevium aurium*, qualem Zoroaſtrem fuiſſe dicunt.

Scriptor Hiſtoriæ Arabum (*e*) ait Perſarum Religionem, ante Zoroaſtris tempus, in multas diviſam ſectas, ab eo emendatam fuiſſe. Idem teſtatur *Agathias* (*f*) loco adlato. *Ammianus Marcellinus* (*g*) ait à Magis ea quæ didicerant ab Hyſtaſpe *cum diſciplinis præſentiendi futura, per ſuam quoque progeniem, poſteris ætatibus tradi. Ex eo*, inquit, *per ſæcula multa ad præſens, unâ eadémque proſapiâ multitudo creata Deorum cultibus dedicatur*, &c. *Aucti paullatim in amplitudinem Gentis ſolidæ conceſſerunt & nomen; villáſque inhabitantes, nullâ murorum firmitudine communitas, & legibus ſuis uti permiſſi, religionis reſpectu ſunt honorati*, &c. *In hac regione oleum conficitur Medicum, quo illitum telum, ſi emiſſum lentiùs laxiore arcu (nam ictu exſtinguitur rapido) hæſerit uſquam, tenaciter cremat; & ſi aquâ voluerit abluere quiſquam, æſtus excitat acriores incendiorum*, &c.

Regionis Magorum in Perſide meminit (*h*) *Clemens Alexandrinus*, qui & tres mirandos montes in ea memorat. (*i*) *Solinus* urbem *Paſſagarda* ad eos pertinuiſſe auctor eſt. *Maguſſæos* eos vocant *Suidas* (*k*) & *Cedrenus*, atque à popularibus *Magog* dictos fuiſſe adfirmant.

Tanta erat Magorum apud Perſas exiſtimatio, ut *Cicero* (*l*) neget *Regem Perſarum quemquam potuiſſe eſſe, qui non ante Magorum diſciplinam, ſcien-*

(e) *Elmacin.* (f) *Sup. Cap. I.* (g) *Lib.* XXIII. c. 6.
(h) *Strom. Lib. VI. p.* 632. (i) *Cap. LV.*
(k) *In voce* *μαγεία.* (l) *De Divin. Lib. I. c.* 41.

tiámque percepiſſet; quod ita deſcribit (*m*) *Plato*: *Anno decimo quarto, puerum ſuſcipiunt hi, quos regios Pædagogos appellant. Ex omnibus Perſis qui optimi habentur æquales quatuor eliguntur, ſapientiſſimus, juſtiſſimus, temperantiſſimus, & fortiſſimus. Quorum primus docet eum Magiam Zoroaſtris filii Oromazis, quæ eſt Deorum cultus; idem tradit inſtituta regia.* Dion Chryſoſtomus (†) ait *Magos in Regis conſilia admiſſos, eique in jure dicendo adſeſſores fuiſſe, quippe qui naturæ rerum eſſent periti, & noſſent quâ ratione Dii eſſent colendi. Omnia publica negotia*, inquit Agathias, (*n*) *eorum ductu & conſiliis adminiſtrabantur, præmia & pœnas adtribuebant.* *Dion* alibi teſtatur *Cambyſem*, expeditione Ægyptiacâ ſuſceptâ, regni adminiſtrationem eis commiſiſſe. *Conſtantinus Manaſſes* (*o*) eoſdem *Regiorum Palatiorum cuſtodes* nuncupat. Denique *Plinius* ait Magicen *in tantum faſtigii adoleviſſe, ut hodiéque etiam in magna parte gentium prævaleat & in Oriente Regum Regibus imperet.*

(m) *Alcibiad. I. p.* 32. *Ed. Ficin. Gen.* (†) *Loc. laud.*
(n) *Loc. laud.* (o) *In Chron.*

CAPUT V.

Secta ac Diſciplina Magorum.

EUBULUS, qui Hiſtoriam (*a*) Mithræ multis voluminibus explicuit, *narrat apud Perſas tria genera Magorum; quorum primos, qui ſint doctiſſimi & eloquentiſſimi, exceptâ farinâ & olere, nihil ampliùs in cibo ſumere.* Nullo in alio Scriptore

(a) *Verba ſunt Hieron. Lib.* 2. *cont. Jovin. p.* 79. *Ed. Gryph.*

tore mentio occurrit trium ſectarum inter Magos; ſed fortè hoc ad diverſa eorum ſtudia, qualia etiam apud Chaldæos fuere, referendum, de quibus ſtudiis poſtea agemus.

Dinon & *Ariſtoteles*, (*b*) aut potiùs Scriptor τȣ̃ Μαγικȣ̃ à *Diogene Laërtio* laudatus, docent Magos exteriore cultu, & auri uſu ſibi interdixiſſe; iſſque veſtem candidam; lectum humum; eſcam, olus, caſeum, & panem ſimplicem fuiſſe, arundine pro baculo uſos, quâ ſummâ præfixum caſeum ori adplicantes comediſſe.

Præfectum Societatis ſuæ habebant, quem (*c*) *Sozomenus* vocat μέγαν ἀρχιμάγον, *magnum Archimagum*.

Eorum occupatio præcipua (*d*) fuit cultus Deorum, quibus ſacrificia, quaſi ſoli ab iis audirentur, offerebant. De juſtitia item verba faciebant, iniquúmque arbitrabantur atque impium igni ſepelire; juſtum matri, ac filiæ miſceri, ut in vigeſimo tertio libro docebat à *Diogene* laudatus *Sotion*.

Herodotus auctor eſt (*e*) eos cùm ab aliis hominibus, tum à Sacerdotibus Ægyptiis plurimum diſcrepaſſe; ſiquidem hi nullius animantis occiſione ſe polluebant, exceptis iis quæ Diis mactabant: Magi ſuis ipſorum manibus, excepto homine & cane, quidvis occidebant, imò inter ſe certabant quis plures formicas, ſerpentes, reptilia denique alia, atque volucria plura occideret. (†)

(b) *Laërt. in Proœm.* (c) *Hiſt. Ec. Lib. II. c.* 13. (d) *Laërt. in Proœm.* (e) *Lib. I. c.* 140. (†) *Vide Indicem in voce* Mures.

CAPUT VI.

De Doctrina Perſarum, ac primùm quidem de eorum Theologica & Phyſica.

QUOD ſupereſt nobis, de Perſarum doctrina, adeò exiguum & mutilum eſt, ut haud facilè, ſecundum methodum aliquam, diſponi poſſit. Attamen propter adfinitatem, quæ eorum Diſciplinis cum Chaldaïcis fuiſſe exiſtimatur, eumdem ordinem ſervabimus in pauculis earum reliquiis colligendis. Primùm quæ pertinent ad eorum Theologiam & Phyſicen; ſecundò Divinationem; tertiò cultum Deorum & ritus ſacros, ac potiſſimùm Magicos; denique omnia eorum Numina deſcribemus.

Perſarum Magos, Theologiæ & Phyſicæ non fuiſſe imperitos, auctor eſt *Suidas* (*a*) jam laudatus. *Laërtius* (*b*) adfirmat etiam eos *de Eſſentia*, & *Generatione Deorum* ſermones habuiſſe. *Dion* Chryſoſtomus (*c*) *naturarum peritos* fuiſſe auctor eſt.

Zoroaſtres Magus, (*d*) in Sacro Perſicorum rituum commentario, hæc totidem verbis habet: *Deus eſt accipitris capite, hic eſt primus incorruptibilis, æternus, ingenitus, ſine partibus, omnibus aliis diſſimillimus, moderator omnis boni, donis non capiendus, bonorum optimus, prudentium prudentiſſimus, legum, æquitatis,*

(a) *In voce* Μαγοι, (b) *ll.* (c) *In Boryſt.* (d) *Præp. Evang.* Lib. I. cap. ult.

ac justitiæ parens, ipse sui doctor, physicus & perfectus & sapiens, & sacri Physici unicus inventor.

Plutarchus (*e*) prodidit Zoroastrem res om-
„nes in tria genera distribuisse, & primæ qui-
„dem illarum parti ab eo (*) Horomazen præ-
„fectum esse; hunc autem esse, quem Oracula
„Patrem vocent; ultimæ (†) Arimanem, &
„mediæ Mithram, húncque ab Oraculis alte-
„ram Mentem vocari. Ceterùm Horomazen
„Sole, quem Persicè Κύρον vocant, triplo ma-
„jorem se effecisse; Mithram autem, qui Ho-
„romazen sequitur, duplo majorem. Quibus
„omnibus Platonica illa respondent: *omnia sunt*
„*circa omnium Regem; ejus gratia sunt omnia,*
„*idémque omnium bonorum causa est. Secundus*
„*verò circa secunda, tertius circa tertia occupa-*
„*tus est.* Tres autem partes, in quas Zoroastres
„& Plato res omnes diviserunt, sunt hæ: pri-
„ma quidem æterna: secunda verò tempore cœ-
„pit, sed æterna est; tertia demum corruptioni
„obnoxia est. Hæc *Pleto* ex (*f*) *Plutarcho*,
„cujus hæc sunt ipsa verba, è libro *de Iside &*
„*Osiride.*

„Existimant alii duos esse Deos contrariis
„artibus veluti deditos, unum bonorum, alte-
„rum malorum opificem. Alii eum qui est me-
„lior Deum, qui est deterior, Dæmonem vo-
„cant; in qua sententia fuit Zoroastres Magus,
„quem aiunt 1>> annis antiquiorem bello Tro-
„jano fuisse. Hic ergo Zoroastres alterum voca-
„bat *Horomazen*, alterum *Arimanium*. Adde-
„bat,

(e) *Pletho ad fin. oracul.* (*) *Vide Indicem in hac voce.*
(†) *Vide Indicem in hac voce.* (f) *Pag. 369.*

„bat, ex rebus sub sensum cadentibus, illum
„similem esse luci: hunc verò tenebris, & igno-
„rantiæ: medium porrò horum esse *Mithram.*
„Ideóque mediatorem Persæ *Mithram* vocant.
„Docuit votivas & eucharisticas victimas illi
„immolandas: huic verò sacra facienda ad aver-
„runcanda mala, atque tristia. Herbam enim
„quamdam, *Omomi* dictam, tundentes in mor-
„tario Plutonem & tenebras invocant; tum ad-
„misto lupi jugulati sanguine, efferunt & abji-
„ciunt in locum, quò radii solares pertingere
„nequeunt. Nam & stirpium quasdam judi-
„cant boni Dei esse, quasdam mali Dæmonis;
„& animalium alia ut canes, aves & echinos
„terrestres bono, aquaticos malo adjudicant.
„Itaque & beatum eum prædicant, qui pluri-
„mos interfecerit. Iidem multa fabulosa de Diis
„narrant, cujus generis est quod referam. Ho-
„romazen natum aiunt è luce purissima, Ari-
„manium è caligine, eos bellum inter se gere-
„re; ab Horomaze factos esse sex Deos, primum
„Benevolentiæ, secundum Veritatis, tertium
„Æquitatis; reliquos Sapientiæ, Divitiarum &
„Voluptatis, quæ ex honestis oritur, opifices;
„ab Arimanio verò procreatos totidem nume-
„ro, contraria facientes; deinde Horomazen
„se triplicasse, & à Sole tanto se intervallo re-
„movisse, quanto à terra Sol abest, & cœlum
„stellis decoravisse, unámque ante alias tam-
„quam speculatorem ac custodem constituisse
„Sirium; alios porrò viginti quatuor Deos ab
„eo conditos, & in ovo positos; & à totidem
„Diis ab Arimanio factis ovum esse perfora-
„tum, atque hinc bona malis esse permista;
„cete-

„ceterum adpetere fatale tempus, quo Arima-„nium peſtem, & famem inducentem ab his ne-„ceſſe eſt prorſus perdi atque aboleri; terráque „æquabili & planâ factâ, unam vitam, unám-„que civitatem beatorum hominum univerſo-„rum, unáque lingua utentium fore. Hacte-„nus *Plutarchus*.

Caput VII.

Artes divinandi.

INTER Perſicas diſciplinas, recenſetur ars *divinandi ac prædicendi*; Magos enim ait *Laërtius* περὶ πρόῤῥησιν ἀσχολεῖσθαι *circa prædictionem occupatos*. *Cicero* (*a*) addit *eos congregatos fuiſſe in fana commentandi causâ, atque inter ſe colloquendi.*

Hinc (*b*) *Strabo*, poſtquàm dixit Divinos à Veteribus majori in pretio eſſe habitos, ait tales fuiſſe *apud Indos Gymnoſophiſtas, apud Perſas Magos, & qui Necyomantici, Lecanomantici, & Hydromantici dicuntur.* Ælianus (*c*) *Perſicorum Magorum ſapientiam, cùm alia complexam eſſe, quæ ipſis ſcire fas eſſet, tum etiam vaticinandi ſcientiam*, auctor eſt. *Lucianus* (*d*) Magos vocat γένος μαντικὸν καὶ θεοῖς ἀνακείμενον, *genus hominum ſatidicum & Diis conſecratum.*

Eorum divinationis exemplum, ex interpretatione ſomnii Cyri petitum, adfert (*e*) *Cicero*; cui

(a) *De Divin.* Lib. I. c. 41. (b) Lib. XVI. p. 524. *Edit. Gen.* (c) *Var. Hiſt.* Lib. II. c. 17. (d) *In Macrobiis*, p. 466. *Tom.* 2. *Ed. Amſtel.* (e) II, c. 23.

cui alterum, de *Ocho*, addit (*f*) *Ælianus*. Inter varia divinationis genera, eos divinaſſe ex notis corporis teſtatur (*g*) *Velleius Paterculus*. Videntur etiam Aſtrologiæ periti fuiſſe, ſi verè *Suidas* Perſarum Zoroaſtri quinque *Aſtroſcopicorum Apoteleſmatum libros* adſcribit. Conſultos quoque eos fuiſſe, de portentorum ſignificatione, liquet ex eo quod de Xerxe narrat *Valerius Maximus*. (*h*)

(f) II. (g) Lib. II. 17. (h) Lib. I. cap. 6.

Caput VIII.

De Sacris, ſeu Magicis ritibus, apud Perſas.

PRÆCIPUA Perſicorum Magorum diſciplina, μαγικὴ vocabatur, à Magis qui eam profitebantur, atque à *Platone* Θεῶν θεραπεία *Deorum cultus* definitur. Vocabatur etiam Μαχαγιςεία. Circa Deorum cultum, reverâ occupatos fuiſſe Magos, ex *Diogene* Laërtio Cap. V. oſtendimus. (*a*) *Dion Chryſoſtomus* teſtatur etiam „à Perſis vocari Magos, qui ſunt cultûs Deo-„rum periti non eo ſenſu quo Græci, qui vo-„cis ſignificationem ignorantes ita eos vocitant „qui Magiæ Goëticæ periti ſunt; cujus Perſa-rum Magos ignaros fuiſſe teſtatur (*b*) *Laërtius*, ex *Ariſtotelis Magico*, & *Dinonis* Perſicorum Libro primo.

(a) *In Boryſt.* (b) *In Proœm.*

Ad

Ad eorum ritus ſacros quod adtinet, (*c*) *Herodotus* & (*d*) *Strabo* teſtantur Perſis neque Templa, neque Aras, neque Statuas fuiſſe; cujus rei ratio eſt, ut putabat *Herodotus*, quòd Perſæ non crederent, quemadmodum Græci, Deos eſſe ἀνθρωποφυέας, hoc eſt, ἀνθρωπομόρφους, *formæ humanæ*. *Cicero* (*e*) etiam Xerxem, *auctoribus Magis*, *inflammaſſe Templa Græciæ* ait; *quòd parietibus includerent Deos*, *quibus omnia deberent eſſe patentia*, *ac libera*, *quorúmque hic mundus omnis templum eſſet & domus.*

Sed cùm *Strabo* alibi frequenter (*f*) Templorum, Altarium, & Statuarum, (*) apud Perſas meminerit, inde ſequitur aut tempore *Herodoti* nulla adhuc fuiſſe, & *Strabonem*, ubi ei adſentitur, reſpexiſſe ad primam inſtitutionem, quam Macedones, illatis Græciæ ritibus, corruperint; aut ab initio varias fuiſſe ſectas apud Perſas, quarum aliis fas erat Templa, Signa, Altaria habere, aliis nefas.

Herodotus & *Strabo* addunt eos ſacra feciſſe *in locis editis*; & ſacrificiorum quidem ritus ita deſcribit *Herodotus*: „ Sacrificaturi neque aras „erigunt, neque libamentis utuntur, aut ti„biis, aut (†) coronis (*victimarum capiti impo„ſitis*) aut molis; verùm ut quiſque ſacra face„re ſtatuit, in locum mundum victimâ dedu„ctâ, Deum invocat, tiaram myrto potiſſimùm „coronatus. Illi autem qui ſacrificat non licet „ſibi privatim precari bona, ſed communiter „univerſis Perſis bene precatur, inprimis autem „Regi,

(c) Lib. I. cap. 131. (d) Lib. XV. p. 503. (e) *De Leg.* Lib. II. cap. 11. (f) *Pag. ſeq.* (*) *Vide Indicem in vocibus illis.* (†) *Vide Indicem in voce* Corona.

„Regi, nam inter omnes Perſas, ipſe etiam qui „ſacra facit comprehenditur. Ubi verò car„nem victimæ minutatim conſcidit, eámque „elixavit, herbam ſubſternit quàm molliſſimam, „maximè trifolium. Huic impoſitis carnibus „Magus adſtans (*) theogoniam adcinit, qua„lem dicunt eſſe incantationem. Sine Mago, „nullum illis fit legitimum ſacrificium. Poſt „breve tempus, qui ſacra fecit carnes aufert & „in quemcumque uſum ſuadet animus iis utitur. „*Strabo* addit ubi Magus, qui ſacrificio præ„eſt, membratim carnes diſcidit, ſuâ quemque „parte acceptâ abire, nullâ parte Diis relictâ; „τὸ γὰρ ψυχῆς φασὶ τοῦ ἱερείου δεῖσθαι τὸν θεόν, ἄλλου δὲ οὐδε„νός, *dicunt enim Deum nihil velle præter hoſtiæ* „(†) *animam*. Quidam, ut fertur, omenti par„tem igni imponunt.

(*) *Vide Indicem in Theogonia.* (†) *Vide Indicem in Anima hoſtia.*

CAPUT IX.

Dii Perſarum.

HERODOTUS (*a*) & *Strabo* hos recenſent Perſarum Deos: *Jovem*, *Solem*, *Lunam*, *Venerem*, *Ignem*, *Terram*, *Ventos*, *Aquam*. Laërtius *Ignem*, *Terram & Aquam* dumtaxat memorat.

Jovis nomine *Herodotus* & *Strabo* aiunt, ab iis intellectum *circuitum omnem cœli*, τὸν κύκλον πάντα τοῦ Οὐρανοῦ. (*) *Agathias* præterea tradit Jovem

(a) *Locis laudatis.* (*) *Init. Lib. 2.*

vem ab iis ſub nomine *Beli* cultum fuiſſe, quod Chaldaïcam hujus Dei originem prodit.

Soli, teſtibus iiſdem *Herodoto* & *Strabone*, ſacra faciebant, & *Strabo* quidem addit Solem ab iis *Mithram* dictum. Hic Perſicorum Deorum maximus fuit, ut fatetur *Cyrus* apud *Xenophontem*, (*b*) ubi per eum jurat. *Heſychius* idem prodidit, & ſanctiſſimum eſſe jusjurandum Regis *per Solem* dicit.

Eum pingebant facie Leonis, Perſicâ veſte indutum, tiaram geſtantem, utraque manu taurum cornibus tenentem, qui taurus videretur niti ſe ejus manibus expedire; ſignificabant, nimirum, Lunam à Sole lucem incipere mutuari, ubi ab eo recedit.

Zoroaſtres (*c*) πρῶτα, ὡς ἔφη Εὔβουλος, αὐτοφυὲς σπήλαιον ἐν τοῖς πλησίον ὄρεσι τῆς Περσίδος, ἀνθηρὸν καὶ πηγὰς ἔχον ἀνιέρωσε &c. *Primùm, ut ait Eubulus, nativam ſpeluncam in vicinis Perſidis montibus, floridam & fontes habentem conſecravit, in honorem omnium opificis & patris Mithræ; quæ ſpelunca imaginem gerebat Mundi, quem Mithra fecit, dum interiora juſtis diſtantiis compoſita ſymbola præferrent elementorum & Climatum mundi.* Hujus Antri Mithræ alii etiam plurimi meminerunt.

In *Mithriacis Sacris*, prout à *Lampridio* (*d*) appellantur, erat auctore *Celſo*, (*e*) „duarum „cœli revolutionum ſignificatio, cùm ejus quâ „ſtellæ fixæ feruntur, tum ejus quâ Planetæ, „Animâ etiam per eos tranſeunte. Tale autem „fuit

(b) In Oecon. pag. 830. Ed. Wechel. (c) Porphyr. de Ant. Nymp. (d) In Commodo. (e) Ap. Origen. Lib. VI. p. 290. Edit. Cant.

„Symbolum. Scala erat in qua erant „ſeptem januæ, quarum octava ſuprema fuit. „Prima januarum erat ex plumbo, ſecunda ex „ſtanno, tertia ex ære, quarta ex ferro, quinta „ex metallo miſto, ſexta ex argento, ſeptima „ex auro. Primam faciebant Saturni, plumbo „notantes tarditatem ejus Sideris; ſecundam „Veneris, comparantes ei ſtanni ſplendorem & „mollitiem; tertiam Jovis æream & ſolidam: „quartam Mercurii, eſt enim laboris patiens & „negotiator, & quod Mercurius & ferrum multùm laudentur; quintam Martis, propter miſturam inæqualem & variam; ſextam Lunæ argenteam; ſeptimam Solis auream, colores ſiderum horum imitati.

Qui hiſce ſacris initiabatur per quoſdam κολάσεων *pœnarum* gradus tranſibat, ut teſtatur (*f*) *Suidas*. *Nonnus* in 2. *Nazianzeni ſtelit.* οὐδεὶς δύναται τελεσθῆναι τὰς τοῦ Μίθρου τελετὰς, &c. *nemo poteſt initiari myſteriis Mithræ, niſi per omnes tranſierit pœnas, & oſtenderit ſe ſine adfectu & ſanctum. Dicuntur autem eſſe octoginta pœnæ, quas gradatim oportet ab initiando peragrari. Qualis eſt primùm per plures dies multam aquam tranſnare, dein ſe in ignem conjicere, tum in deſerto verſari & jejunare, & alia quædam, donec octoginta, ut diximus, pœnas pertranſierit. Tandem in intima ſacra admittebatur, ſi viveret.*

De ritibus *Lunæ*, nihil peculiariter proditum ad nos pervenit.

De ſacris *Veneris* ita loquitur *Herodotus*: *Uraniæ quoque ſacrificant, ſic nimirum ab Arabibus*

(f) In voce Mithra.

bibus, Aſſyriiſque edocti. Vocant autem Aſſyrii Venerem Mylittam, Arabes eamdem Alittam appellant, Perſæ Mithram. Ut *Molidtha* Syriacè *prolificam* ſignificat, quod nomen *Veneri Genitrici* optimè convenit : ita apud Perſas, obſervante *Raphelengio*, *mater* aut *mader*, idem erat ac *mater* apud Latinos. Hæc fortè fuit *Mater Deorum*, quam *Cicero* à Perſis, Syris, univerſiſque Europæ & Aſiæ Regibus ſummâ Religione cultam fuiſſe auctor eſt.

Perſæ & Magi omnes, verba ſunt *Julii Firmici*, (*g*) *qui Perſiæ regionis incolunt fines . ignem præferunt , & omnibus elementis putant debere præponi. Agathias* etiam , libro ſæpiùs laudato, ignis cultum à Chaldæis ad Perſas tranſiiſſe ait.

„In Cappadocia, obſervante *Strabone* , ubi „maxima eſt multitudo Magorum, qui Pyrethi „vocantur, & multa Perſicorum Deorum Tem„pla ; non cultro, ſed ſtipite quodam mactant „tamquam malleo percutientes. Sunt & Pyratheia ſepta quædam ingentia, in quorum medio ara eſt. In ea Magi & cinerem multum & ignem perennem ſervant. „Eò quotidie ingreſſi incan„tationem faciunt, per horam ante ignem vir„garum faſciculum tenentes, (*quibus inter recitandum carmen ignem ſuſcitabant, ut oſtendit* Seldenus *de Diis Syris Synt.* II. cap. 7.) „pileos „veluti infulis ex utraque parte pendentibus , „adeò ut vittæ labia contegant & malas. Hacte„nus oculatus teſtis *Strabo*. Pyratheia , ſive, ut ea appellat *Suidas*, Pyreia ſunt *ignis ille cœlitus delapſus apud Magos ſempiternis foculis cuſtoditus*,

(g) *De Error, Prof. Relig.*

ditus, ut loquitur (*h*) *Ammianus Marcellinus*. Neque hujuſmodi ritibus in ſolis Templis utebantur, ſed etiam in ſpeluncis abditis ; ubi (ut narrat *Firmicus*) cærimonias plurimas extraordinarias adhibebant , recitabántque inter alia hæc verba :

Μυκήτας βοὸς μυςαὶ
Κύκλα βοοκλοπίης συναείδατε πατρὸς ἀγαυȣ.

Myſtæ mugientis bovis, in circulum redeuntem Booclopièn canite Patris ſplendidi. Neque hic cultus ſolum ignem reſpiciebat, ſed δὶ αὐτὸν οἷα πυροειδῆ ὄντα , *propter eum quæcumque igni ſunt ſimilia*, ut docet *Euſtathius* ad verſum 1057. *Dionyſii. Strabo Pyropum* ab iis cultum dicit. *Julius Firmicus* ignem ab iis dictum *Mithram* addit ; unde, ut etiam ex cultu , quem in ſpeluncis ei exhibebant , manifeſtum eſt, aliquando ſaltem eumdem ac Solem ſummum illorum Numen eis creditum.

Telluri & Ventis quæ ſacra facta fuerint, ex Veterum monumentis non liquet. Sed Aquæ ſacra in hunc modum fuere peracta. „Ad la„cum, (*i*) vel flumen, vel fontem venientes „ſcrobem faciebant ; ibíque hoſtiam jugulabant, „caventes ne quid proximæ aquæ ſanguine „tingerentur , quippe quas ſic polluiſſent. Poſteà „carnes myrto , lauróque impoſitas Magi gra„cilibus virgis comburebant, carmen adcinen„tes ; oleúmque lacte ac melle miſtum infun„debant, non in ignem, nec in aquam, ſed in „terram.

 Alios

(h) Lib. XXIII. (i) *Strabo. II.*

Alios Deos præter memoratos habuerunt Perſæ, ſeu minorum gentium, ſeu poſterioris ævi. Horum meminere Strabo & alii. Nomina ſunt *Anaitis* (Venus) *Amandatus*, *Omanus*, *Sacæa*, *Sandes* & *Nannæa*, quæ *Diana* fuiſſe dicitur. Atque hæc de Perſarum doctrina.

PHILOSOPHIÆ ORIENTALIS

LIBER TERTIUS,

DE

SABÆORUM PHILOSOPHIS.

PROOEMIUM.

ARABIA nobiliſſima Aſiæ peninſula, ſi ita eam vocare liceat, Perſico, Indico. & Rubro maribus, exceptâ eâ parte quâ eſt Syriæ contermina, ambitur. Hæc vicinitas tantum inter Gentes finitimas adſtrinxit commercium, ut Chaldæorum diſciplinæ per Meſopotamiam, Aſſyriam, Syriámque latè pervagatæ, inde ad vicinos Perſas, hinc ad Arabas pertigerint. Eadem vicinitas, non modò ſitûs ſed Religionis & Opinionum, fortè cur *Plinius* promiſcuè earum nominibus uteretur, dum magnam Meſopotamiæ partem *Arabiam* indigitat, & Arabas ipſos *Syrorum* nomine deſignat, cauſa fuit. Poſteriorum ætatum Orientales Scriptores, & præſertim Arabes, ſub vocabulo τῶν

Chasdim aut *Chaldanim*, non solùm *Babylonios*, sed & *Nabatæos*, *Charanæos* & *Sabæos* complectuntur. Inter alios *Mohammed Isacides* appellationes, *Chaldanin* & *Nabatæa*, synonymas facit. *Achmedus* libro de Religione Sabæorum hanc inscriptionem præfixit: *De ritibus Charanæorum, Chaldæorum, Sabæorum nomine vulgò notorum.* Addit *Sabæorum nomine vulgò notorum*, quia sub Sabæis, quippe præcipuis, reliqui, ne exceptis quidem Chaldæis Mesopotamiæ incolis, continebantur. Neque enim apud Orientales voces *Chaldæa* & *Sabæa* minùs promiscuè sumuntur, quàm vocabula *Syriæ*, *Arabiæ* & *Mesopotamiæ*, apud *Plinium*. Cujus rei *Maimonides*, qui in omnibus Scriptis suis eos confundit, hanc profert rationem; quia, nempe, Chaldæorum doctrina per eas regiones latè sparsa, omniúmque incolarum eadem erat Religio.

Cùm autem Arabia soleat dividi in *Petræam*, *Desertam*, & *Felicem*, hîc non intelligimus Petræam quæ est ad Septemtrionem Sabææ sita, & primùm ab Ismaële condita; cujus posteritas Linguam Sabæam, hoc est, Arabicam, edocta nomine *Arabum* indigitabatur, aut magis propriè *Hagarenorum*; quippe qui ab *Hagara* essent oriundi; & *Aarab Mostaarabah*, hoc est, *factitii Arabes*, ex cohabitatione, nimirum, cum veris Arabibus. Intelligimus Arabas propriè dictos, Desertæ (†) & Felicis Arabiæ incolas. Horum priores orti sunt ex *Nebajoth* filio Ismaëlis, & à *Plinio*, *Strabone* & *Ptolemæo* vocantur *Nabatæi*; posteriores verò à *Saba* filio Chusi, qui Chami filius fuit, unde populi illi (§) *Sabæi* dicti

(†) *Vide Indicem in voce* Arabia. (§) *Vide Indic. in hac voce.*

dicti sunt, uti regio Sabæa, & *nativi Arabes*, ut distinguerentur ab adventitiis Arabiæ Petrææ incolis. *Charanæi*, qui unà memorantur, sunt cives *Charæ*, urbis Arabicæ, cujus nomen occurrit apud *Pomponium Melam*; & quos *Carræos* Plinius vocat, qui eos vicinos Sabæorum facit & à *Charanæis* Mesopotamiæ distinguit.

CAPUT I.

De Auctoribus Sectæ Sabææ.

DE primo opinionum & Religionis Sabæorum conditore, non consentiunt inter se Scriptores. *Saidus Batricides*, Scriptor Arabs, originem eorum cuidam Persæ, nomine *Zaradschath*, æquali *Theracho*, patri Abrahami, tribuit. Zaradschath idem est ac Zoroastres, unde liquet à *Batricide* intelligi alterum ex duobus viris, quibus id nominis erat; quorum unus inter Chaldæos Scientiarum auctor fuit, alter easdem Persas edocuit. Quamvis eum Persam dicat, antiquitas, quam ei tribuit, eum potiùs de Chaldæo voluisse loqui, ostendit.

Alii, eodem *Batricide* prodente, existimarunt *Tachmuratum* Persarum Regem initium huic Religioni dedisse. Is *Tachmurat* videtur idem esse ac *Tachurith*, cui idem tribuit *Elmacinus*, alius Arabum Historicus. Hic mentionem injicit alterius Persæ, cui nomen erat *Nazarib*, ad quem etiam Religionis Sabææ origo referebatur. Alii rursus, eodem teste, derivabant incunabula Sabæorum à quodam *Javan*, vel *Ju-*

Juvan, filio *Berklei*, quem volunt fuiſſe ex urbe *Zaituna* (hoc eſt, Athenis) ſita in Attica. *Joan. Henr. Hottingerus* pro *Berklei* legit *Mercolim*, id eſt, Mercurius, quæ lectio confirmatur ab Elmacino eadem narrante. Batricides præterea memorat opinionem quorumdam, qui Zabiiſmum exſtructoribus turris Babelis tribuebant. Atque hæc de origine hujus Religionis habent Arabes.

Alii Sabæorum conditorem faciunt *Chamum* Noachi filium, qui abdicatus (*a*) atque expulſus à Patre, profugus in ea terrarum parte conſedit, quæ nunc Arabia nominatur. *Hæc prima fuit gens*, verba ſunt Lactantii, *quæ Deum ignoravit, quoniam Princeps ejus & conditor cultum Dei à Patre non accepit, maledictus ab eo.* *Lactantio* adſentiuntur multi, in tribuenda origine Idololatriæ Chamo, & filio ejus Chuſo Chaldææ conditori, à cujus filio *Saba* Sabæi dicti ſunt. Hoc fundamento nixi quidam antiquiorem & juniorem Zoroaſtrem, eoſdem fuiſſe ac Chamum & Chuſum probare adgreſſi ſunt.

Alii, ut *Joannes Damaſcenus*, Idololatriæ originem *Serugo* adtribuunt. *Epiphanius* & *Chronici Alexandrini* Scriptor ſimiliter, Serugi temporibus, *Helleniſmum* cœpiſſe adfirmant. Hic Helleniſmus à nonnullis idem fuiſſe creditur, ac Sabæa ſuperſtitio; ut idem ſit quod Græci Patres *Helleniſmum*, Rabbini (*) *Thohou*, & Arabes *Algaheleiton*, *tempus ignorantiæ & Paganiſmi* vocant. Quamvis autem non facile ſit quidquam de adeò antiquis, atque obſcuris

tem

(a) *Lact. Lib. II c. 13.* (*) *Vide Indicem in hac voce.*

temporibus definire, dubitare non licet, quin ſuperſtitioſus cultus ignis & Solis, Sabæis adtributus, ultimæ ſit inter eos antiquitatis; quoniam ejus mentio occurrit apud (†) *Jobum*, cujus ætas quàm proximè ad eorum tempora acceſſit, ut apparet ex incurſione *Sabæorum* in ejus facultates. C. I, 15. Sic loquitur C. XXXI, 26. *Si vidi Solem, cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima & negatio contra Deum altiſſimum.*

(†) *Vide Indicem in voce* Jobus.

CAPUT II.

De aliis ex Sabæa Secta.

THERACHUM Abrahami Patrem in Zabiiſmo educatum fuiſſe conjicere eſt ex Joſ. XXXIV. ubi recenſetur inter eos *qui peregrinos Deos coluerunt*. (*a*) *Philo* ait eum Aſtronomiæ & Mathematicarum diſciplinarum peritum fuiſſe.

Maimonides (*b*) diſertè adſerit notum eſſe Abrahamum educatum in fide Zabiorum fuiſſe, qui negabant ullum præter ſtellas Deum eſſe. Certè *Beroſus* (*c*) agnoſcit eum τὰ οὐράνια ἔμπειρον, *cœleſtium peritum* fuiſſe. *Eupolemus*, apud *Euſebium*, (*d*) inventionem *Aſtrologiæ & Chaldaicæ* diſciplinæ eidem adſcribit. Zabii ipſi narrabant (*e*) eum, cùm doceret alium eſſe creato-

O 5 rem

(a) *De Nobilit.* (b) *More Nevoch.* P. III. c. 29. (c) *Apud Joſ. Ant. l. 8.* (d) *Lib. IX. c. 17.* (e) *More Nevoch. p. III. c. 29.*

rem præter Solem, à Chaldæorum Rege bonis ſpoliatum, & in exſilium miſſum fuiſſe. Nec abſimilia de eo narrat *Joſephus*, loco laudato.

Rabbini *Salomon Jarchi*, *Moſes Gerundenſis*, & *Jacobus Chajin* narrant ejus diſceptationes contra Idololatriam cum patre *Theracho*, & *Nimrodo*, à quo in ignem conjectus, illæſus evaſit. *Cedrenus* etiam, cùm Abrahamus idola parentis in ignem conjeciſſent, fratrem ejus *Haranem* ea eripere flammis nitentem combuſtum fuiſſe ait.

Arabes, qui Rabbinicas fabulas imitantur, iiſque ſomnia inædificant, pleniùs docent quid Abrahamo evenerit, poſtquàm à Nimrodo abiiſſet; ut apparet ex fragmento Mohammedani Scriptoris, ex quo quod ad Sabæos pertinet huc transferam. „*Edris*, ſuper quo ſit pax, „primus fuit qui poſt Enochum Sethi filii Ada-„mi, ſuper quo ſit pax, ſcripſit pennâ. Hoc „poſteà edocuit Edris filios ſuos, quibus dixit: „ô Filii, ſcitote vos eſſe Sabæos, ideóque in „juventute veſtra legere libros diſcite. Jam au-„tem Sabæi ſunt Scriptores, de quibus al-„tus (*Mohammedem intelligit*) dicit (Sur. 2.) „*Zabii & Nazareni*. Addit Arabs eos non „deſiiſſe poſſidere inter ſe libros Sethi & Edris, „hereditario jure, uſque ad tempora Noachi „& Abrahami, quem Deus tutatus eſt contra „Nimrodum, ſuper quo ſit maledictio. Sed „eo die quo Abraham è regione *Irak* egreſſus „eſt, & ire voluit in Syriam, Majorum ſuorum „patriam, venit in regionem *Charan & Ghezi-*„*ra*, & invenit ibi populum *Zabiorum*, qui le-„git

„git veteres libros & credit quæ in iis continen-„tur. Abraham autem dixit: O Deus, ne-„minem puto, præter me & eos qui mecum „ſunt, hîc fuiſſe ex fidelibus qui credunt te eſ-„ſe unum. Deus verò Abrahamo repoſuit: ô „Abraham, Terra numquam deſtituta eſt, ſed „ſunt ſemper nonnulli, qui pro Deo diſceptant, „& juſſit eum vocare eos ad ſuam Religionem, „& vocavit; ſed illi noluerunt, dicentes: Quo-„modo tibi credemus, quandoquidem non le-„gis librum? Et Deus immiſit eis oblivionem „omnium rerum, quas de Diſciplinis & libris „noverant, nam illi exiſtimabant Libros qui-„bus utebantur à Deo eſſe; & quidam eorum „credebant, alii fidem negabant. Deinde Za-„bii fuere diviſi & quidam eorum crediderunt; „nempe, *Barhamenſes*, qui ſe non ſegregarunt „ab Abrahamo felicis memoriæ; ſed reliqui „Religionem ſuam acerrimè ſequuti ſunt; nem-„pe, qui ſunt in regione *Charan*, qui cum Abra-„hamo in Syriam non iverunt & dixerunt: ſequi-„mur Religionem Sethi, Edris & Noachi. Hactenus *Kiſſæus*, ſecundùm quem Sabæorum eadem fuit ac *Charanæorum*, ſeu Meſopotamiæ incolarum Religio. Quod dicit de Abrahamo ad Sabæos miſſo, id omne ex Rabbinicis traditiobus deſumtum eſt.

Verùm apud Arabas, ab antiquiſſimis temporibus, viros fuiſſe doctos & naturalis Philoſophiæ, Aſtronomiæ, aliarúmque Diſciplinarum peritos, liquet ex teſtimoniis majore fide dignis; ac præſertim ex Jobi, amicorúmque ejus diſceptationibus. De Arabum Philoſophis intelligendum etiam quod de Salomonis ſapientia dicitur,

quâ memoratur *excelluisse præ omnibus filiis Orientis*. *Tacitus*, (*f*) in descriptione Judææ, eam *quà ad Orientem vergit*, *Arabiâ terminari* ait, & à Judæis etiam Arabiam *Orientis* vocabulo insignitam apparet ex Gen. x. 30. xxv, 6, 18. Job. I. 3. Jud. vi, 3. &c.

Plinius in Arabia (*g*) memorat *Magos*, atque *Hippocum* Arabem Magum nomine appellat. *Ptolemæus*, in eadem Regione, sinum Magorum collocat. *Porphyrius* (*h*) ex *Diogene*, Pythagoram, inter alias Regiones, quas discendi causâ lustravit, ivisse quoque in Arabiam, & cum Rege vixisse narrat.

(*f*) *Hist. V. c.* 5. (*g*) *Cap. XXX.* I. (*h*) *In Vit. Pythag.*

CAPUT III.

Sabæorum Scripta.

SABÆI, ut ex *Kissæo* modò ostendimus, sibi esse libros à *Setho* & *Edri* conscriptos, imò etiam quosdam ab Adamo exaratos contendebant. Idem enim Scriptor, ubi narrare pergit quid Abrahamo inter Sabæos versanti evenisset, ait: „Abrahamum, apertâ cistâ Adami, invenisse in ea, ejus libros; item libros Sethi & „Edris, & nomina omnium Prophetarum qui „post ipsum Abrahamum erant mittendi; Abrahamum autem dixisse beatos esse lumbos ejus, „ex quo tot Prophetæ erant oriundi, & „Deum respondisse ipsum fore eorum Patrem „&c.

Ejus-

Ejusdem farinæ *Maimonides* (*a*) putat fuisse librum *de Sanationibus*, ab *Ezekiele*, ut aiunt, absconditum. Idem plurimos alios libros, quorum præcipuus inscriptus erat: *De Agricultura Nabatæorum*, translatúsque ab *Aben Vachaschijah*, laudat. Plenus fuit idololatricis nugis, agebátque de conficiendis *Tsilmenajah*, de descensu Spirituum, conjuratione Dæmonum, de iis qui degunt in deserto, quales erant Satyri; aliísque ejusmodi ineptiis, quibus à se manifesta Mosis miracula confutari posse existimabant.

Alius fuit *de cultura Nabatæorum*, (†) ex quo *Maimonides* hausit historiam de Abrahamo, quam suprà adtigimus.

Liber *Haistamchus*, *Aristoteli* falsò adscriptus.

Liber *Hattelesmaoth* de Talismanibus. Buxtorfius titulum vertit *de loquentibus imaginibus*, cujus rei rationem jam indicavimus.

Liber *Tamtam*.

Liber *Hasscharab*.

Liber *de Gradibus cœlestium Orbium*, & *figuris in unoquoque Gradu adscendentibus*.

Alius liber *de Talismanibus*, Aristoteli etiam adtributus.

Hermæ adscriptus liber.

Liber *Isaaci Zabii*, ubi Religionem suam defendit.

Crassus liber *de Ritibus Legis Zabiorum*, festis, sacrificiis, precibus; aliísque ad eorum fidem spectantibus. Hi omnes libri, ut docet *Maimonides*, de idololatricis ritibus agebant, eræntque in Arabicam Linguam translati. Idem tradit

(*a*) *Mor. Neb. p. III. c.* 29. † *Vide Indicem in his vocibus.*

dit plurimos fuiſſe alios, & *Joan. Henr. Hottingerus*, (*b*) penes ſe fuiſſe ait librum conſcriptum à *Mohammede* Seniore filio Iſaaci, qui aliter dicitur *Abulfaræ* filius *Abi-Jakub*.

(b) *Hiſt. Orient. Lib. I. c. 8.*

CAPUT IV.

De Diis & Ritibus Sabæorum.

DOCTRINAM Sabæorum tradidere Scriptores iis recentiores, ex quibus Chaldaïcam hauſimus. Itaque fortè hæc deſcriptio Sabææ Theologiæ, qualis erat poſteriore ævo, multùm corrupta & diſſimilis facta Chaldaïcæ, ex qua primùm ducta fuerat. Neque eſt abſimile vero hujus corruptionis deſcriptiones Rabbinicas, diſceptationum æſtu, aliquantùm ultra veritatem auctas: quod & de Arabibus Rabbinos ſequutis, ex quibus ſolis quidquid de Sabæis habemus hauſimus, intelligere eſt. Quidquid id eſt, prioribus adnectendum cenſuimus, ex quibus, quantumvis depravatum, ortum tamen eſſe fertur.

Sabæi, teſte *Maimonide*, (*a*) exiſtimabant, uti olim Chaldæi, ſtellas eſſe Deos; ſed Solem Deorum ſummum, quippe qui inferiorem & ſuperiorem orbem regat. Eum & *ſummum Dominum*, & *Dominum boni* appellitabant. Quod narrabant de Abrahamo cultum Soli negante, alibi traditum eſt. Quæ præterea fabularentur de Patriarchis; de Adamo, non primo homine ſed

(a) *Mor. Neb. p. III. c. 29.*

ſed ab aliis genito, qui fuerit Propheta Lunæ, & homines ad eam colendam impulerit, déque Agricultura ſcripſerit; de Noacho itidem agricola, ſed Idolis non credente, ac propterea ab iis infamato, in omnibus ſuis Scriptis; de Setho etiam ab Adamo, circa cultum Lunæ, diſſentiente; hæc, inquam, omnia apud Maimonidem pleniùs ea tradentem poterunt legi.

Duplici ritu Deos colebant, quotidiano, & menſtruo. Quotidianum ita deſcribit *Ali Sahia Waheb*: „Primum diem conſecrant Soli, ſecundum Lunæ, tertium Marti, quartum Mercurio, quintum Jovi, ſextum Belthæ Veneri, ſeptimum Saturno. Deſcriptionem menſtrui cultûs habemus ab *Mohammede filio Iſaaci* MS. quem citat *Hottingerus*. Annum inchoabant à menſe Niſan, cujus feſtos habebant tres primos dies, conſecratos cultui Divæ *Belthæ*, cujus Templa celebrabant, victimáſque in iis immolabant. Sexto die ejuſdem menſis, taurum Deæ ſuæ Lunæ mactabant, ac ſub veſperam eo epulabantur. Octavus dies erat etiam feſtus, & noctem ejus diei celebrabant, in honorem ſeptem Deorum, offerebántque agnum *Deo Cæco*, hoc eſt, Marti. Quindecimus dies ſacer erat *Sammaëli* (quo nomine Thalmudici Angelum Mortis appellant) celebrabatúrque victimis & oblationibus variis. Vigeſimo, conveniebant in Cœnobium Charanæorum, dictum *Cadi*, ubi tres tauros immolabant, unum Saturno, alterum Marti cæco Deo, tertium Lunæ. Mactabant præterea novem agnos, ſeptenos ſeptem Diis ſeu Planetis,

tis, unum Deo Geniorum, alterum Deo Horarum. Hisce holocausta agnorum & gallorum gallinaceorum adjiciebant. Vigesimo octavo die, ibant ad Templum, quod eis erat in civitate *Saba*, ad certam portam Charanis *Assarab* dictam, & *Hermæ* Deo suo ingentem taurum, ut & septenos agnos septem Diis, unum Deo Dæmonum, alterum Deo Horarum mactabant. Festum celebrabant conviviis, sed nullam pecudum partem eo die adolebant.

Secundum mensem *Ijar* inchoabant festâ celebritate, quæ in honorem Sammaëlis erat, cui offerebantur victimæ. Secundus dies erat consecratus τῷ *Aben Salem*, eóque unà potabant, manibúsque tamariscum, aliósque fructus gerebant.

Tertii mensis dies vigesimus tertius sacer erat *Sammaëli*, quem aiebant esse Deum, qui facit ut sagittæ volent. *Chumar*, seu Sacerdos facit ut sagitta duodecies ignem concipiat, dum eam ligno fricat, duodecimáque vice subitò in solum concidit, lineáque duo fila admovet; si incendantur, sacrum Deo acceptum, secus si evenerit, contrà Deum iratum putant.

Quartus mensis *Thammuz* peculiare habet festum, quod circa medium celebratur mensem. Vocatur festum *Albukat*, *lugentium mulierum*. Origo hujus festi ita refertur à *Maimonide*, (*a*) in libro jam laudato: „Cùm Pseudo-propheta, nomine *Thammuz*, prædicaret cuidam Regi, ut „coleret septem stellas & signa duodecim, jussit „Rex eum gravi morte interfici. Nocte verò „mortis ejus, convenerunt omnes imagines, ab „extremis terræ oris in Templum Babylonicum, „ad imaginem auream magnam Solis, quæ pendebat inter cœlum & terram. Et prostravit se „imago illa in medio Templo, & omnes imagines circumquaque, narravitque eis quidquid „contigerat Thammuzo. Imagines verò flebant „& lamentabantur, per totam noctem. Mane „autem avolarunt omnes imagines in sua „Templa, ad extremas terræ oras. Et consuetum est, ait *Maimonides*, quotannis primo die „mensis Thammuz (*Junii*, ratione discrepantis Juliani & Judaïci anni habitâ) lamentari „& flere super Thammuz. Mulierum Thammuzum lugentium meminit etiam Ezekiel Propheta C. VIII, 14. Judæosque eas imitatos indicat. Ejusdem mensis dies vigesimus septimus sacer erat Sammaëli, aliisque Diis ac Dæmonibus, novémque agnos τῷ *Hanan* mactabant.

(a) *L. III. c. 29. Mor. Neb.*

Quinti mensis, quem cum Syris *Ab* vocant, octo primis diebus, mustum in honorem Deorum suorum exprimunt, idque variis nominibus adficiunt. Præterea recens natum infantem Diis suis immolant, eúmque in frusta minutatim concidunt. (*) Dein miscent illam carnem similagineæ farinæ, croco, spicis tritici, caryophyllis, conficiúntque placentas instar ficuum, quas in novo furno coquunt, dántque populo ad congregationem Sammaëlis pertinenti per totum annum. Nulla mulier, nec ser-

(*) *Vide in Ind.* Infans immolatus.

ſervus, nec ſervæ filius, nec furioſus, nec Dæmonio obſeſſus, eas placentas deguſtat.

Ritus ſexti menſis, *Elul* dicti, ab eodem Scriptore ita deſcribuntur. Per triduum coquunt aquam, quâ ſe abluant, ut ſacra facere purè Sammaëli queant; & in aquam hanc conjiciunt tamariſcum, ceram, oleas, aromata &c. Dein ante Solis occaſum eam calentem corpori ſuo, quaſi amuletum, adfundunt. Eodem die, mactant octo agnos, ſeptem Diis, & Sammaëli. Unà edunt in ſuis congregationibus, & quiſque ſeptem ſcyphos vini haurit. Ab unoquoque Princeps exigit duas drachmas, theſauro ſuo inferendas. Vigeſimo ſexto ejus menſis, eunt ad montem quemdam, celebraturi feſtum Solis, Saturni & Veneris; quibus holocautomata octo pullorum gallinaceorum, totidem gallorum & gallinarum offerunt. Qui preces Fortunæ fundit gallum, aut pullum arripit, cujus alas duobus funiculis lineis vincit, eorum extrema igni admovet, & Deæ Fortunæ pullum offert. Si prorſus abſumatur, exaudita creditur ejus oratio; ſed ſi ignis funiculorum priùs extinguitur, quàm conſumtus ſit pullus, Dominus Fortunæ preces, oblationes, ac ſacrificia reſpuere exiſtimatur. Die vigeſimo ſeptimo & vigeſimo octavo, habent ſua Myſteria, in quibus ſacra faciunt Sammaëli Domino Maximo, & Geniis, à quibus protegi, & defendi, & negotia ſua ſecundari putant.

Septimus menſis, quem Syri & Sabæi vocant *primum Thiſchri*, medius habet ſacrum Manium, ad quos placandos comburunt varios cibos. Emunt

Emunt omnis generis cibos ac fructus, ficcos ac virides, quoſcumque in foro inveniunt; quos variis rationibus ſtruunt, atque incendunt noctu, in honorem mortuorum, cum oſſe coxæ Cameli. Igni etiam infundunt miſtum vinum, quod bibant mortui.

Octavo menſe, qui vocatur *poſterior Thiſchri*, incipiunt jejunare vigeſimo primo die; jejuniúmque producunt ad 29. qui eſt ſacer Domino Fortunæ.

Nonus menſis, qui *primus Canun* appellatur, Veneri potiſſimùm ſacer eſt. Quarto die Tentorium erigunt, quod vocant *lectum Belthæ*, ornántque foliis, floribus, fructibus &c. Priuſquàm offerant ſacrificia pecudum aut avium, dicunt: *Hæc ſacrificia Deæ noſtræ Belthæ conſecremus.* Id feſtum per ſeptiduum celebratur, quo multæ pecudes Diis & Deabus mactantur. Trigeſimo die, Sacerdos ſedet in alto tribunali, in quod per novem gradus adſcendit. Deinde arreptam virgam è Tamariſco ad omnes porrigit adſtantes, eáque unumquemque ter, quinquies, aut ſepties verberat; quo peracto, orationem ad conventum habet, quâ populi conſtantiam in ſacris, multitudinem, ſedes, & excellentiam præ ceteris omnibus gentibus effert. Docet etiam quæ ſit amplitudo imperii ſui, quæve ejus duratio. Tandem è tribunali deſcendit, & convivantur Idolothytis. Hoc die etiam, Princeps duas drachmas vectigales ab unoquoque accipit.

Decimus menſis, *alter Canun* dictus, videtur peculiariter Lunæ ſacer, nam vigeſimus quartus dies eſt natalis Domini, hoc eſt, Lunæ; quo tem-

tempore ſacra facientes Sammaëli octoginta quadrupedes, totidémque aves urunt. Adolent etiamDiis ac Deabus ramos palmarum in ſumma parte tenues.

Undecimo menſe *Sijubat*: per ſeptem dies jejunabant, incipientes à nono, quo jejunium Soli indicebant. Ab omni re ex lacte confecta, & vino abſtinebant; nec ullum hoc menſe Numen orabant, præter Sammaëlem & Genios.

Menſe duodecimo *Adar*, jejunabant etiam Lunæ,præſertim vigeſimo octavo die, quo Sacrorum Præſes unicuique dabat hordeaceum panem, in honorem *Martis*; & Princeps duas drachmas, Ærario inferendas, ab unoquoque poſcebat.

CAPUT V.

Alii Ritus Sabæorum Leviticæ Legi contrarii.

MAIMONIDES memorat multos alios ritus Leviticæ Legi contrarios, addítque (a) *multarum Legum Moſaicarum rationes & cauſas ſibi innotuiſſe ex cognitione fidei, rituum & cultûs Sabæorum.* (*)

Offerebant tantùm panem fermentatum, & res dulces, omnéſque oblationes melle inungebant, quo interdicitur. Levit. II, 11.

Quodam die carnem ſuillam comedere ſolebant, quod vetitum. Lev. XI, 7.

Quaſdam pecudes, quas occidere Judæis licuit, interficere Sabæi nefas ducebant; exempli gratiâ, bo-

(a) *P. III. c. 29. & ſeqq.* (*) *Vide Indicem in voce* Ritus.

bovem, quem colebant propter ingentem ejus in Agricultura uſum. Ab ovibus etiam interficiendis abſtinebant.

Nonnulli Sabæorum Dæmonas, ſub hircorum forma colebant, propter eáque שעירים (b) *Schebirim* eos vocabant. Contrà Leviticâ lege prohibitum fuit ſacra facere לשעירים *liſchebirim*, hoc eſt, Dæmonibus ſub hircina ſpecie apparentibus. Levit. XVII, 7.

Licèt ſanguinem abominarentur, attamen eum comedebant quòd crederent eſſe Dæmonum cibum; quibus eâ ratione arctiùs conjungebantur, & familiares evadebant, ut Dæmones ad eos venire & futura prædicere non dedignarentur. Hoc interdicitur Levit. XVII, 10. 23.

Colebant Solem Orientem, (c) qua de cauſa Rabbini docent, in *Gemara*, Abrahamum deſignaſſe Occidentem, ut eum reſpiceret Sanctum Sanctorum, cùm in Monte *Morija* Deo ſacra fecit. De hac Idololatria interpretantur Ezek. VIII, 16. ubi Propheta dicit ſe vidiſſe *viginti quinque viros dorſa habentes contra Templum Domini, & facies ad Orientem, & adorantes ad ortum Solis.*

Mohammed ben Iſaac eos ſolitos eſſe tonderi novaculâ, & igne inuri, & mulieres etiam nuptas inter eos ita ſe totondiſſe ait. Idem in Levitico diſertè prohibetur.

Solebant Sabæi liberos ſuos recens natos per ignem quem colebant traducere, eóſque qui ita traducti non eſſent vitales futuros negabant.

Ha-

(b) *Maim. Mor. Neb. c. 46.* (c) *Id. c. 45.*

Habebant obſcœniſſimam inſerendi conſuetudinem deſcriptam à *Maimonide*, (*) ad quam puta in Levitica prohibitione reſpici.

Alia idgenus ab eodem narrantur, qui tandem (*d*) obſervationes hac de re ſuas claudit hac animadverſione; ad leges quod adtinet, quarum rationes & utilitas ab ipſo ignorabantur, eam ignorationem ortam inde fuiſſe quòd inter res quas audivimus, & quas ipſi oculis noſtris vidimus ſit magnum diſcrimen. Propterea quæ de Sabæorum ritibus dixerat, auditúque acceperat, aut lectione Scriptorum Sabæorum didicerat, non æquè certa ſibi ac firma eſſe fatebatur, ac iis qui ea obſervari, ac celebrari viderent; (†) præſertim cùm eorum opiniones & ſectæ ante mille annos intercidiſſent, nec ipſa earum ſupereſſent nomina.

Atque his de Sabæorum dogmatibus, iis quæ de *Chaldaïca Philoſophia* dicenda habebamus, finem imponimus.

(*) *Ibid. cap.* 37. (d) *Ibid. cap.* 49. (†) *Vide Indicem in voce* Sabæi.

PHILOSOPHIÆ ORIENTALIS

LIBER QUARTUS,

In quo Chaldaïca ZOROASTRIS, ejúſque diſcipulorum Oracula.

PROOEMIUM.

PRÆCIPUÆ Chaldaïcæ Philoſophiæ reliquiæ continentur Oraculis, quæ ſub nomine *Zoroaſtris* circumferuntur. Non deſunt quidem, qui ea quaſi ſuppoſititia damnent, dicántque (*a*) Græculo Pſeudo-Chriſtiano conficta, (*b*) fortè quia ſectatores Prodici Hæretici dictitabant ſe arcanos *Zoroaſtris* libros habere. Verùm hoc minùs videtur probabile, quoniam ſparſim apud plurimos Scriptores inveniuntur; & quominùs negligantur vetat ſummum pretium, in quo apud Platonicos habita ſunt Philoſophos. Hinc etiam adparet non eſſe adnumeranda Scriptis, quæ *Porphyrius* (*c*) Gnoſticis tribuit, quaſi ab iis ſub nomine *Zoroaſtris* edita; quandoquidem hæc, ut teſtatur, à Platonicis, inter quos *Amelium* memorat, ſpuria fuiſſe demonſtratum fuerat.

(a) *Th. Beza.* (b) *Clemens Strom. Lib. I. p.* 302. (c) *In Vita Plotini.*

Quidam Chaldaïca esse negant, quia sæpiùs Græcum stylum redolent; sed sunt tot in iis duræ ac exoticæ loquutiones, ut barbaricam originem satis prodant. Ubi verò vocabula adhibentur Græcæ Philosophiæ propria, idem possumus de iis dicere, quod *Jamblichus* de libris qui *Hermæ Trismegisti* nomen præferebant; cùm hæc nomen *Zoroastris* præfixum habent, iisdem *Zoroastris* doctrinam contineri, licèt frequenter Græcanico expressa sit stylo, quia ex Chaldaïca Lingua, à Græcanicæ Philosophiæ peritis, Græcè translata est.

Joan. Picus, Comes *Mirandulanus*, ut genuina esse ostenderet, aiebat sibi esse ipsum exemplar Chaldaïcum, in Epistola ad *Marsil. Ficinum*, ubi narrat se vi quadam aliis rebus abductum, & ad Arabica ac Chaldaïca studia impulsum; quibusdam libris hisce Linguis conscriptis, qui in suas manus inciderant, non casu, ut putabat, sed divinâ studiis ipsius favente Providentiâ. Hi Chaldaïci libri, quos thesauros potiùs vocabat, erant Oracula *Aben Ezræ*, *Zoroastris* & *Melchioris Magorum*, in quibus quæ in Græcis sunt corrupta & mutila, emendatè & plenè legebantur. Aiebat etiam sibi esse explicationem eorumdem Oraculorum à Sapientibus Chaldæis conscriptam, brevem eam quidem & obscuram, sed mysteriis prægnantem. Erat præterea ei liber de Chaldaïca Theologia, illustratus copiosâ de Chaldæis, Græcis, & Persis dissertatione. Post hujus Comitis mortem, hi libri inventi sunt à *Ficino*; sed ita detriti, ac difficiles erant lectu, ut nihil ex iis elici posset.

Fa-

Faciliùs adducemur, ut credamus hæc Oracula ab homine Græcanicæ Philosophiæ perito fuisse translata, si in animum revocemus *Berosum* Scripta Chaldæorum, de Astronomia & Philosophia, in Græciam intulisse; & à *Juliano*, filio, Chaldæo Philosopho, Theürgica oracula, aliáque ejus Scientiæ arcana Græcis versibus edita fuisse. Sanè si hæc quæ nobis supersunt, partem non constituunt Chaldaïcæ doctrinæ, quam Græcè ediderat *Berosus*; verisimile est, vel ex titulo, hîc esse nonnulla ex Theürgicis *Juliani* Oraculis, quædam enim sub eo nomine à *Proclo* laudantur. Ad ea quæ dicit sibi fuisse Comes Mirandulanus, quibus adjectus erat commentarius, & dissertatio de Chaldaïca Theologia, quod adtinet; conjicere quis possit, ex iis quæ habemus *Plethonis* & *Pselli*, qui præter Oracula nobis Interpretationem & Epitomen Chaldaïcæ Theologiæ exhibent, hausta esse ab eo Scriptore, cujus argumentum & methodum similia, sed copiosiora describit *Picus*.

Inscripta porrò hæc sunt *Oracula*, non fortè metaphoricè dumtaxat, ad horum divinam excellentiam designandam; sed etiam quia Oraculi responsa existimabantur. *Stephanus* testatur (d) μαντεῖον ἔχειν αὐτὺς παρὰ βαρβάροις, ὡς Δελφοὶ παρ Ἕλλησι, *oraculum habuisse eos, quod apud barbaros fuit ut Delphense apud Græcos.* Hoc inde confirmari potest, quòd Platonici reverenter admodum de iis loquuti fuerint; cùm *Proclus* in *Timæum* adserat Assyriam Theologiam à Deo revelatam fuisse. Idem alibi, citato, quasi divino, uno ex hisce Oraculis, quod de ideis

 agit,

(d) *De Urb. in voce* Χαλδαῖος.

agit; inde à Numine Idearum ὑπόςασιν confirmari, Platonicámque doctrinam à Diis ipsis probatam colligit.

Quædam ex hisce Oraculis, quæ temporis injuriam effugerunt, primùm edita sunt Lutetiæ à *Ludovico Tiletano* anno 1563. cum Commentario *Gemisti Plethonis*, & titulo *Magicorum Oraculorum Magorum à Zoroastre oriundorum.* Eadem rursus translata in Latinum sermonem & edita fuere à *Jacobo Marthamo*, cum commentario *Pselli*, ac tandem ab *Opsopæo* Lutetiæ 1607. ad Sibyllinorum Oraculorum calcem.

Verùm *à Francisco Patricio* multùm aucta fuere ex *Proclo*, *Hermia*, *Simplicio*, *Damascio*, *Synesio*, *Olympiodoro*, *Nicephoro & Arnobio*, adeò ut excreverint, prout numerat, ad CCCXX versus. Ea præterea, majoris perspicuitatis causâ, ad certa capita redacta, & Latinitate donata emisit, anno 1593.

Posteà Latinè edita sunt ab *Othone Heurnio* an. 1619. inscriptáque *Sincera Oracula Magica Zoroastris Bactrianæ Regis, & Magorum Principis*; sed dum ea nititur stylo expolire, & meliore Latinitate induere quæ genuinè ac sincerè tradiderat *Patricius*, ea inquinavit ac corrupit. Temerè præterea continuam orationem ex hisce fragmentis, inter se nequaquam connexis, & apud varios Scriptores sparsis, efficere studuit.

Patricius sanè non exiguo labore hæc collegit, sed modorum in versibus minorem rationem habuit; imò & interdum verba ipsa negligentiùs exscripsit. Nec ulla certa via est, quâ quæ omisit suppleri queant, qualis esset comparatio eorum cum Scriptoribus, ex quibus hausta sunt; nam

nam neque omnes exstant, neque ubique, ut tamen profitetur, nomina eorum addidit, ex quibus petita fragmenta, exceptis iis quæ initio occurrunt. Quidquid id est, ea hîc, ex ejus Editione, quæ omnium perfectissima est, unà cum additamentis quæ alibi nobis occurrerunt, & conjecturis quibus quædam deficientia suppleantur, proferemus.

Quamvis autem plurima ex hisce Oraculis ita sint abrupta & obscura, ut primo intuitu risu potiùs quàm æstimatione aliquâ digna videantur; attamen qui in animum revocabit totidem ex iis quæ à *Plethone* & *Psello* explicata sunt, sine his explicationibus, non minùs ridicula visum iri; sed explicata Chaldæorum eruditionem retegere ac recludere; is facilè sibi persuaderi patietur etiam reliqua omnia (ne obscurissimis quidem exceptis) ejusdem esse generis, adeóque non debuisse potiùs quàm ullum ex ceteris omitti.

[Hactenus *Stanleius*. (*) Nos verò quæ emendatu facilia, & manifesta erant, aut alibi emendatiùs edita, correximus; dein versionem ipsam Latinam multis in locis interpolavimus, ubi necessarium visum est; licèt operosam necessariarum mutationum rationem reddendam nobis arbitrati non simus.]

(*) *Verba interpretis.*

ΤΑ ΤΟΥ ΖΩΡΟΑΣΤΡΟΥ ΛΟΓΙΑ.

α'. Μονὰς, Δυὰς, καὶ Τριάς.

Psell. Ὅπου πατρικὴ Μονάς ἐστι.
Dam. Ταναή ἐστι Μονὰς ἣ δύο γεννᾷ.
Proc. Dam. Δυὰς γὰρ παρὰ τῷδε κάθηται, καὶ νοεραῖς ἀστράπτει τομαῖς,
Καὶ τὸ κυβερνᾷν τὰ πάντα, καὶ τάττειν ἕκαστον οὐ ταχθέν.
Dam. Παντὶ γὰρ ἐν κόσμῳ λάμπει Τριὰς, ἧς Μονὰς ἄρχει.
Ἀρχὴ πάσης τμήσεως ἥδε ἡ τάξις.
Proc. Εἰς τρία γὰρ Νοῦς εἶπε Πατρὸς τέμνεσθαι ἅπαντα.
Οὗ τὸ θέλειν κατένευσε, καὶ ἤδη πάντα ἐτέτμητο.
Εἰς τρία γὰρ εἶπε Νοῦς Πατρὸς ἀϊδίου.
Νῷ πάντα κυβερνῶν.
Dam. Καὶ ἐφάνησαν ἐν αὐτῇ ἥτ' ἀρετὴ καὶ ἡ σοφία,
Καὶ ἡ πολύφρων ἀτρέκεια.
Ἐκ τῶνδε ῥέει Τριάδος δέμας πρὸ τῆς οὔσης,
Οὐ πρώτης, ἀλλ' οὗ τὰ μετρεῖται.
Ἀρχαῖς γὰρ τρισὶ ταῖσδε λάβοις δουλεύειν ἅπαντα.
Ἱερὸς πρῶτος δρόμος, ἐν δ' ἄρα μέσσῳ
Ἠέριος, τρίτος ἄλλος, ὃς ἐν πυρὶ τὴν χθόνα θάλπει.
Καὶ πηγὴ πηγῶν, καὶ πηγῶν πείρας ἁπασῶν,
Μήτρα συνέχουσα τὰ πάντα.
Proc. Ἔνθεν ἄρδην θρώσκει γένεσις πολυποικίλου ὕλης.
Ἔνθεν συρόμενος πρηστὴρ ἀμυδροῖ πυρὸς ἄνθος
Κόσμων ἐνθρώσκων κοιλώμασι. Πάντα γὰρ ἔνθεν.
Ἄρχεται εἰς τὸ κάτω τείνειν ἀκτῖνας ἀγητάς.

ORACULA ZOROASTRIS.

I. Unum, duo, & tria Principia.

Ubi paterna Unitas est.
Porrecta est Unitas quæ duo generat.
Dyas enim apud hanc sedet & intellectualibus fulgurat sectionibus.
Et gubernare omnia, & ordinare unumquodque non ordinatum.
Toto enim in mundo lucet Trinitas, cujus Unitas initium est.
Principium omnis sectionis hic est ordo.
In tria enim Mens Patris dixit secari omnia.
Cujus volnntas annuit, & jam omnia secta fuere,
In tria enim dixit Mens Patris æterni.
Mente omnia gubernans.
Et apparuerunt in ipsa Virtus & Sapientia,
Et multiscia Veritas.
Ex hisce fluit corpus Trinitatis priusquàm esset,
Non primæ, sed cujus quæ mensurantur.
Principiis enim tribus hisce capias servire omnia.
Sacrum primum curriculum, certè in medio
Aerius, tertius alius, qui in igne terram fovet.
Et fons fontium & fontium finis omnium,
Matrix continens omnia.
Inde affatim exsilit origo variæ materiæ.
Inde tractus prester obscurat florem ignis.
Insiliens cavitatibus Mundorum, omnia enim inde.
Incipit deorsum tendere radios admirandos.

β΄. Πατὴρ, καὶ Νοῦς.

Psel. Ἑαυτὸν ὁ Πατὴρ ἥρπασεν,
Οὐδ' ἐν ἑῇ δυνάμει νοερᾷ κλείσας ἴδιον πῦρ.
Οὐ γὰρ ἀπὸ πατρικῆς ἀρχῆς ἀτελές τι τροχάζει.
Πάντα γὰρ ἐξετέλεσσε Πατὴρ, καὶ Νῷ παρέδωκε
Δευτέρῳ, ὃν πρῶτον κληΐζεται ἔθνεα ἀνδρῶν.
Psel. Εἰσὶ πάντα πυρὸς ἑνὸς ἐκγεγαῶτα.
Proc. Πατρογενὲς φάος. Πολὺ γὰρ μόνος
Ἐκ Πατρὸς ἀλκῆς δρεψάμενος νόου ἄνθος.
Ἔργα νοήσας γὰρ πατρικὸς Νόος αὐτογένεθλος
Πᾶσιν ἐνέσπειρεν δεσμὸν πυριβριθῆ ἔρωτος,
Ὄφρα τὰ πάντα μένῃ χρόνον εἰς ἀπέραντον ἐρῶντα.
Μήτε πᾶσι τὰ Πατρὸς νοερῶς ὑφασμένα φέγγει,
Ὡς ἐν ἔρωτι μένῃ κόσμου στοιχεῖα μένοντα.
Ἔχει τῷ νοεῖν πατρικὸν Νοῦν ἐνδιδόναι
Πάσαις πηγαῖς τε καὶ ἀρχαῖς.
Ἔστι γὰρ πέρας τοῦ πατρικοῦ βυθοῦ, καὶ πηγὴ τῶν νοερῶν.
Μηδὲ προῆλθεν, ἀλλ' ἔμενεν ἐν τῷ πατρικῷ βυθῷ,
Καὶ ἐν τῷ ἀδύτῳ κατὰ τὴν θεοθρέμμονα σιγήν.
Οὐ γὰρ εἰς ὕλην πῦρ ἐπέκεινα τὸ πρῶτον
Ἑὴν δύναμιν κατακλείει ἔργοις, ἀλλὰ Νόῳ.
Σύμβολα γὰρ πατρικὸς Νόος ἔσπειρεν κατὰ κόσμον,
Ὃς τὰ νοητὰ νοεῖ καὶ ἄφραστα καλλωπίζει.
Ὁλοφυὴς μερισμὸς, καὶ ἀμέριστος.
Νῷ μὲν κατέχει τὰ νοητὰ, αἴσθησιν δ' ἐπάγει κόσμοις.
Νῷ μὲν κατέχει τὰ νοητὰ, ψυχὴν δ' ἐπάγει κόσμοις.

II. Pater & Mens.

Seipsum rapuit Pater.
Neque in sua potentia intellectuali clauso igne proprio.
Neque enim à paterno Principio imperfectum quidquam rotatur.
Cuncta enim perfecit Pater, & Menti tradidit
Secundæ, quam primam vocant gentes hominum.
Sunt omnia ab uno igne progenita.
Patre genita lux. Multum enim solus
E Patris robore decerpsit mentis florem.
Opera intelligens enim paterna Mens à se genita.
Omnibus inseminavit vinculum igne gravis amoris,
Ut omnia maneant in infinitum tempus amantia.
Neque omnibus Patris contexta intellectualiter monstrant,
Ut in amore maneant mundi elementa manentia.
Potest intelligendo paternam Mentem indere
Omnibus Fontibus & Principiis.
Est enim terminus paternæ profunditatis, & fons intellectualium.
Neque progressus est, sed mansit in paterno profundo,
Et in Adyto, juxta à Deo nutritum silentium.
Neque enim in materiam, ignis, qui trans primum est,
Suam potentiam includit operibus, sed Mente.
Symbola enim paterna Mens sevit per Mundum,
Qui intelligibilia intelligit, & ineffabilia exornat.
Integra partitio & impartibilis.
Mente quidem continet intelligibilia, sensum verò addit Mundis.
Mente quidem continet intelligibilia, animam] verò addit Mundis.

γʹ. Νοῦς, Νοητὰ, καὶ Νοερά.

Dam. ΚΑὶ τοῦ ἑνὸς ΝΟΥ τοῦ νοητοῦ.
Proc. Οὐ γὰρ ἄνευ Νόος ἐστὶ νοητοῦ, οὐ χωρὶς ὑπάρχει.
Τὰ μέν ἐστι νοερὰ καὶ νοητὰ, ὅσα νοεῦνται.
Τροφὴ δὲ τῷ νοοῦντι τὸ νοητόν.
Μάνθανε τὸ νοητὸν, ἐπεὶ νόου ἔξω ὑπάρχει.
Καὶ τοῦ Νοῦ ὃς τὸν ἐμπύριον κόσμον ἄγει.
Νοῦ γὰρ Νοῦς ἐστὶν ὁ κόσμου τεχνίτης πυρίου.
Οἱ τὸν ὑπερκόσμιον πατρικὸν βυθὸν ἴστε νοοῦντες.
Ἡ νοητὴ πάσης τμήσεως ἀρχή.
Ἔστι γάρ τι νοητὸν, ὃ χρή σε νοεῖν νόου ἄνθει.
Dam. Ἢν γὰρ ἐπεγκλίνῃς, ὡς Νοῦν κἀκεῖνο νοήσῃς,
Ὥς τι νοῶν οὐ κεῖνο νοήσεις.
Ἔστι γὰρ ἀλκῆς
Ἀμφιφαοῦς δύναμις νοεραῖς στράπτουσα τομαῖσι.
Οὐ δὴ χρὴ σφοδρότητι νοεῖν τὸ νοητὸν ἐκεῖνο,
Ἀλλὰ νόου ταναοῦ ταναῇ φλογὶ πάντα μετρούσῃ.
Πλὴν τὸ νοητὸν ἐκεῖνο. Χρεὼ δὴ τοῦτο νοῆσαι,
Ἢν γὰρ ἐπεγκλίνῃς σὸν νοῦν κἀκεῖνο νοήσεις
Οὐκ ἀτενῶς.
Ἀλλ' ἁγνὸν ἐπίστροφον ὄμμα φέροντα
Σῆς ψυχῆς τεῖναι κενεὸν νόον, εἰς τὸ νοητὸν,
Ὄφρα μάθῃς τὸ νοητόν.
Ἐπεὶ ἔξω νόου ὑπάρχει.
Τὸν δὲ νοεῖ πᾶς νοῦς θεὸν,
Οὐ γὰρ ἄνευ νοός ἐστι νοητοῦ, καὶ τὸ νοητὸν
Οὐ νοῦ χωρὶς ὑπάρχει.
Τοῖς δὲ πυρὸς νοεροῦ νοεροῖς πρηστῆρσιν ἅπαντα
Εἴκαθε δουλεύοντα, Πατρὸς πειθηνίδι βουλῇ.
Καὶ τὸ νοεῖν αἰεί τε μένειν ἀόκνῳ στροφάλιγγι.
Πηγάς τε καὶ ἀρχὰς δινεῖν, αἰεί τε μένειν ἀόκνῳ στροφάλιγγι.
Ἀλλὰ καὶ οὔνομα σεμνὸν ἀκοιμήτῳ στροφάλιγγι.

III. Mens, Intelligibilia & Intellectualia.

Et unius Mentis intelligibilis.
Non enim sine intelligibili Mens est, non est seorsim.
Hæc quidem sunt intelligibilia & intellectualia, quæcumque intelligentia intelliguntur.
Intelligenti alimentum est intelligibile.
Disce intelligibile quoniam extra Mentem est.
Et Mentis quæ Empyreum mundum agit.
Mentis enim Mens est ignei mundi artifex.
Qui supermundanum paternum profundum scitis intelligentes.
Intelligibilis omnis sectionis princeps est.
Est enim aliquid intelligibile, quod oportet te intelligere flore mentis.
Si enim inclines ut mentem & illud intellexeris,
Ut aliquid intelligens non illud intelliges.
Est enim roboris
Circumquaque lucidi potentia intellectualibus fulgens sectionibus
Non sane oportet vehementiâ intelligere intelligibile illud,
Sed mentis amplâ flammâ, omnia metiente,
Excepto intelligibili illo. Opus est sanè hoc intelligere,
Nam si inclinaveris mentem tuam, etiam illud intelliges
Non intentè.
Sed purum, conversibilem oculum, ferentem
Animæ tuæ, tendere vacuam mentem in intelligibile,
Ut cognoscas intelligibile.
Quoniam est extra mentem
Deum hunc intelligit omnis mens,
Non enim mens est sine intelligibili, & intelligibile
Seorsim à mente non est.
Ignis intellectualis intellectualibus Presteribus omnia
Cedunt servientia, Patris persuasorio consilio.
Et intelligere, sempérque manere impigrâ vertigine.
Fontes & principia movere, sempérque manere impigrâ vertigine.
Sed nomen venerandum insomni vertigini.

Κόσμους ἐνθρώσκων, κραιπνὴν διὰ Πατρὸς ἐνιπήν.
Ὑπὸ δύο νόων ἡ ζωογόνος πηγὴ περιέχεται ψυχῶν.
Καὶ ὁ ποιητὴς, ὃς αὐτουργῶν τεκτήνατο τὸν κόσμον.
Ὃς ἐκ Νόου ἔκθορε πρῶτος
Ἑσσάμενος πυρὶ πῦρ, συνδέσμων ὄφρα κεράσῃ
Πηγαίους κρατῆρας, ἑοῦ πυρὸς ἄνθος ἐπίσχων.
Νοεραῖς ἀστράπτει τομαῖς, ἔρωτος δ᾽ ἐνέπλησε τὰ πάντα.
Τὰ ἀτύπωτα τυποῦσθαι.
Σμήνεσσιν ἐοικυῖαι φέρονται, ῥηγνύμεναι
Κόσμου περὶ σώμασι.
Ἃ Νοῦς λέγει, τῷ νοεῖν δήπου λέγει.
Ἡ μὲν γὰρ Δύναμις σὺν ἐκείνοις, Νοῦς δ᾽ ἀπ᾽ ἐκείνου.

δ΄. Ἴυγγες, Ἰδέαι, Ἀρχαί.

Πολλαὶ μὲν αἵδε ἐπεμβαίνουσι φαεινοῖς κόσμοις
Ἐνθρώσκουσαι καὶ ἐν αἷς ἀκρότητες ἔασι τρεῖς.
Ὑπόκειται αὐταῖς ἀρχικὸς αὐλών.
Ἀρχαὶ αἱ Πατρὸς ἔργα νοήσασαι νοητὰ
Αἰσθητοῖς ἔργοις καὶ σώμασιν ἀμφεκάλυψεν.
Διαπόρθμιοι ἑστῶτες φάναι τῷ Πατρὶ καὶ τῇ ὕλῃ.
Καὶ τὰ ἐμφανῆ μιμήματα τῶν ἀφανῶν ἐργαζόμενοι,
Καὶ τ᾽ ἀφανῆ εἰς τὴν ἐμφανῆ κοσμοποιΐαν ἐγγράφοντες.
Νοῦς Πατρὸς ἐρροίζησε νοήσας ἀκμῆτι βουλῇ
Παμμόρφους ἰδέας, πηγῆς δ᾽ ἀπὸ μιᾶς ἀποπτᾶσαι
Ἐξέθορον· πατρόθεν γὰρ ἔην βουλή τε τέλος τε.
Δι᾽ ὧν συνάπτεται τῷ Πατρὶ, ἄλλην κατ᾽ ἄλλην
Ζωὴν ἀπὸ μεριζομένων ὀχετῶν.
Ἀλλ᾽ ἐμερίσθησαν, νοερῷ πυρὶ μοιρηθεῖσαι,
Εἰς ἄλλας νοεράς, κόσμῳ γὰρ ἄναξ πολυμόρφῳ
Προὔθηκεν νοερὸν τύπον ἄφθιτον, ὃ κατὰ κόσμον
Ἴχνος ἐπειγόμενος μορφῆς καθ᾽ ὃ κόσμος ἐφάνθη,

Παν-

Mundus insiliens celeres ob minas Patris.
Sub duabus mentibus vivigenius fons continetur animarum.
Et opifex qui ipse agens mundum fabricatus est.
Qui ex Mente exsilivit primus.
Indutus igne ignem, vinculorum ut temperet
Fontanos Crateres, sui ignis florem cohibens.
Intellectualibus fulget sectionibus, amore verò implevit omnia.
Insigurata figurari.
Examinibus similes feruntur, perrumpentes
Per mundi corpora.
Quæ Mens dicit, intelligendo sanè dicit.
Potentia quidem cum illis, Mens verò ab illo.

IV. Iynges, Ideæ, Principia.

Multæ quidem hæ scandunt lucidos mundos
Insilientes, & in quibus summitates sunt tres.
Subjectum illis est principale pratum.
Principia, quæ intelligunt Patris opera intelligibilia.
Sensilibus operibus, & corporibus circumdedit.
Transvectrices stantes dicere Patri & materiæ.
Et manifesta imitamina non apparentium facientes,
Et latentia in manifestam mundi generationem inscribentes,
Mens Patris striduit, intelligens, indefesso consilio,
Omniformes ideas, fonte verò ab uno evolantes
Exsilierunt; à Patre enim erat & consilium & finis.
Per quæ conjunguntur Patri, per aliam atque aliam
Vitam, à divisis canalibus.
Sed divisæ sunt, intellectualem ignem sorte nactæ,
In alias intellectuales; mundo enim Rex multiformi
Proposuit intellectualem typum incoruptibilem, non ordine
Vestigium properans formæ, prout mundus apparuit

Om-

Παντοίαις ἰδέαις κεχαρισμένος, ὧν μία πηγή.
Ἐξ ἧς ῥοιζοῦνται μεμερισμέναι, ἄλλαι,
Ἄπλατοι, ῥηγνύμεναι, κόσμου περὶ σώμασι·
Αἳ περὶ κόλπους σμερδαλέους, σμήνεσσιν ἐοικυῖαι,
Φορέονται τραποῦσαι, περὶ δ᾽ ἀμφὶ ἄλλυδις ἄλλη
Ἔννοιαι νοεραὶ πηγῆς πατρικῆς ἄπο,
Πολὺ δραττόμεναι πυρὸς ἄνθος
Ἀκοιμήτου Χρόνου. ἀκμὴ δ᾽ ἀρχεγόνου ἰδέας
Πρώτη Πατρὸς ἔβλυσε· τῆσδε αὐτοθαλὴς πηγή.
Νοούμεναι Ἴυγγες πατρόθεν νοέουσι καὶ αὐταὶ
Βουλαῖς ἀφθέγκτοισι κινούμεναι ὥστε νοῆσαι.

ε. Ἑκάτη, Συνοχεῖς καὶ Τελετάρχαι.

ἘΞ αὐτοῦ γὰρ πάντες ἐκθρώσκουσι
Ἀμείλικτοί τε κεραυνοί, καὶ πρηστηροδόχοι κόλποι
Παμφεγγέος ἀλκῆς πατρογενοῦς Ἑκάτης.
Καὶ ὑπεζωκὸς πυρὸς ἄνθος, ἠδὲ κραταιὸν
Πνεῦμα πόλων πυρίων ἐπέκεινα.
Φρουρεῖν αὖ πρηστῆρσιν ἑοῖς ἀκρότητας ἔδωκεν,
Ἐγκεράσας ἀλκῆς ἴδιον μένος ἐν Συνοχεῦσιν,
Ὅπως ἔχῃ κόσμος νοερούς Ἀνοχῆας ἀκαμπεῖς.
Ὅτι ἐργάτις, ὅτι ἐκδότις ἐστὶ πυρὸς ζωηφόρου.
Ὅτι καὶ ζωογόνον πληροῖ τῆς Ἑκάτης κόλπον.
Καὶ ἐπιρρεῖ τοῖς Συνοχεῦσι ἀλκὴν ζήδωρον πυρὸς
Μέγα δυναμένοιο.
Ἀλλὰ καὶ φρουροὶ τῶν ἔργων εἰσὶ τοῦ Πατρός.
Ἀφομοιοῖ γὰρ ἑαυτὸν, ἐκεῖνος ἐπειγόμενος
Τὸν τύπον περιβάλλεσθαι τῶν εἰδώλων.
Οἱ Τελετάρχαι συνειλήπται τοῖς Συνοχεῦσι.
Τοῖς δὲ πυρὸς νοεροῦ νοεροῖς πρηστῆρσιν ἅπαντα
Εἴκαθε δουλεύοντα.
Ἀλλὰ καὶ ὑλαίοις ὅσα δουλεύει Συνοχεῦσι.
Ἑσσαμένου πάντευχον ἀλκὴν φωτὸς κελάδοντος.
Ἀλκῇ τριγλίχῳ νόον, ψυχήν θ᾽ ὁπλίσαντα.
Πανταῖον σύνθημα βάλλειν φρενί.

Μηδ'

Omnigenis ideis donatus, quarum unus fons.
Ex quo strident divisæ aliæ,
Immensæ, perrumpentes circa mundi corpora.
Quæ per terribiles sinus, examinibus similes
Feruntur conversæ, circumquaque autem alibi aliæ,
Conceptiones intellectuales à paterno fonte,
Multum decerpentes ignis florem
Insomnis temporis. Vigor principigeniæ ideæ
Primus Patris scaturiit; hujus autem per se florens
Intellectæ Ideæ à Patre intelligunt & ipsæ, (*fons*
Consiliis ineffabilibus motæ ut intelligentes.

V. Hecate, Synoches & Teletarchæ.

Ex ipso enim omnia exsiliunt
Implacabilia fulmina, & presterum capaces sinus.
Lucidi vigoris patrogeniæ Hecates.
Et Hypezocus (succinctus) *ignis flos, & fortis*
Spiritus Polos trans igneos.
Custodiendas presteribus suis summitates dedit.
Immiscens vigoris propriam vim in Synochibus, (*xos.*
Quò mundus habeat intellectuales sustentatores infle-
Quia operatrix, quia largitrix est ignis vitam feren-
Quia vitam ferentem implet Hecatæ sinum. (*tis.*
Et influit Synochibus vigorem, qui vitam dat, ignis
Magna efficere valentis.
Sed & custodes operum sunt Patris.
Adsimilat enim seipsum, ille urgens
Formam induere Idolorum.
Teletarchæ comprehensi sunt cum Synochibus.
His ignis intellectualis intellectualibus Presteribus
Cedunt servientia. (*omnia*
Sed & quæcumque materialibus serviunt Synochibus.
Induti armatum vigorem luminis resonantis.
Vigore trisulco mentem, animámque armantem.
Varium Synthema injicere animo.

Neque

Μηδ' ἐπιφοιτᾶν ἐμπυρίοις σποράδην ὀχετοῖς,
Ἀλλὰ στιβαρηδόν.
Οἱ δὲ τὰ ἄτομα καὶ αἰσθητὰ δημιουργοῦσι,
Καὶ σωματοειδῆ καὶ κατατεταγμένα εἰς ὕλην.

ς'. Ψυχὴ, Φύσις.

Ὅτι ψυχὴ πῦρ δυνάμει Πατρὸς οὖσα φαεινὸν,
Ἀθάνατός τε μένει καὶ ζωῆς δεσπότις ἐστὶ,
Καὶ ἴσχει κόσμου πολλὰ πληρώματα κόλπων.
Νοῦ γὰρ μίμημα πέλει, τὸ δὲ τεχθὲν ἔχει τι σώματος,
Μιγνυμένων δ' ὀχετῶν πυρὸς ἀφθίτου ἔργα τελοῦσα,
Μετὰ δὲ πατρικὰς διανοίας, ψυχὴ ἐγὼ ναίω,
Θερμὴ, ψυχοῦσα τὰ πάντα, κατέθετο γὰρ
Νοῦν μὲν ἐν ψυχῇ, ψυχὴν δ' ἐν σώματι ἀργῷ
Ἡμέων ἐγκατέθηκε Πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.
Ἄρδην ἐμψυχοῦσα φάος, πῦρ, αἰθέρα, κόσμους.
Συνυφίσταται γὰρ τὰ φυσικὰ ἔργα τῷ νοερῷ φέγγει
Τοῦ Πατρός. Ψυχὴ γὰρ ἡ κοσμήσασα τὸν μέγαν
Οὐρανὸν, καὶ κοσμοῦσα μετὰ τοῦ Πατρός.
Κέρατα δὲ καὶ αὐτῆς ἐστήρικται ἄνω.
Νώτοις δ' ἀμφὶ θεᾶς φύσις ἄπλετος ἠώρηται.
Ἄρχει δ' αὖ φύσις ἀκαμάτη κόσμων τε καὶ ἔργων,
Οὐρανὸς ὄφρα θέει δρόμον ἀΐδιον κατασύρων,
Καὶ ταχὺς ἠέλιος περὶ κέντρον ὅπως ἔθας ἔλθῃ.
Μὴ φύσιν ἐμβλέψεις, εἱμαρμένον οὔνομα τῆσδε.

ζ'. Κόσμος.

Ὁ ποιητὴς ὃς αὐτουργῶν τεκτήνατο τὸν κόσμον.
Καί τις πυρὸς ὄγκος ἦν ἕτερος· τάδε πάντα
Αὐτουργῶν, ἵνα σῶμα τὸ κοσμικὸν ἐκτολυπευθῇ.
Κόσμος ἵν' ἔκδηλος, καὶ μὴ φαίνηται ὑμενώδης.

Τὸν

Neque supervenire empyreis canalibus sparsim,
Sed collectim.
Hi verò individua & sensibilia efficiunt,
Et formâ corporeâ & depressâ in materiam.

VI. Anima, & Natura.

Quod mens exsistens ignis splendens, vi Patris
Immortalis manet & vitæ domina est,
Et tenet mundi multas plenitudines sinuum;
Mentis enim imitamen est, fabricatum verò habet quid corporis.
Mistis verò canalibus ignis incorruptibilis opera efficiens,
Post verò paternas conceptiones, anima ego habito
Calida, animans omnia, reposuit enim
Mentem in anima, animam verò in corpore inerti
Nostrûm imposuit Pater hominúmque, Deorúmque.
Affatim animans lucem, ignem, æthera, mundos.
Exsistunt enim naturalia opera cum intellectuali splendore
Patris. Anima enim est, quæ exornavit magnum
Cœlum, & quæ ornat simul cum Patre.
Cornua & ipsius firmata sunt sursum.
Humeros verò circum natura immensa Deæ adtollitur.
Præest natura indefessa mundis & operibus,
Cœlum ut currat cursum æternum trahens,
Et celer Sol circa centrum ut adsuetus veniat.
Ne inspicias naturam, fatale ejus nomen est.

VII. Mundus.

Opifex qui per se operans fabricatus est Mundum.
Etiam altera quædam moles ignis erat. Hæc omnia
Per se efficiens, ut corpus mundanum absolveretur,
Mundus ut manifestus fiat, nec videatur membranaceus,

Totum

Τὸν ὅλον κόσμον ἐκ πυρὸς, καὶ ὕδατος, καὶ γῆς,
Καὶ παντοτρόφου αἴθρης.
Τ' ἄρρητα καὶ τὰ ῥητὰ συνθήματα τοῦ κόσμου.
Ἄλλην κατ' ἄλλην ζωὴν, ἀπὸ μεριζομένων ὀχετῶν.
Ἄνωθεν διήκοντος ἐπὶ τὸ κατ' ἀντικρυ,
Διὰ τοῦ κέντρου τῆς γῆς, καὶ πέμπτον μέσον ἄλλον.
Πυρίοχον, ἔνθα κάτεισι μέχρι ὑλαίων ὀχετῶν.
Ζωοφόρον πῦρ.
Κέντρῳ ἐπισπέρχων ἑαυτὸν φωτὸς κελάδοντος.
Πηγαῖον ἄλλον ὃς τὸν ἐμπύριον κόσμον ἄγει.
Κέντρον ἀφ' οὗ πάσαι μέχρις ἂν τυχὸν ἴσαι ἔασι.
Σύμβολα γὰρ πατρικὸς Νόος ἔσπειρεν κατὰ κόσμον.
Μέσον τῶν πατέρων ἑκάστης κέντρον φορεῖται.
Νοῦ γὰρ μίμημα πέλει. τὸ δὲ τεχθὲν ἔχει τι σώματος.

η'. Οὐρανός.

Ἑπτὰ γὰρ ἐξώγκωσε Πατὴρ στερεώματα κόσμων.
Τὸν οὐρανὸν κυρτῷ σχήματι περικλείσας.
Πῆξε δὲ πολὺν ὅμιλον ἀστέρων ἀπλανῶν,
Ζώων δὲ πλανωμένων ὑφέστηκεν ἑπτάδα.
Γῆν δ' ἐν μέσῳ τιθεὶς, ὕδωρ δ' ἐν γαίας κόλποις,
Ἠέρα δ' ἄνωθεν τούτων.
Πῆξε δὲ καὶ πολὺν ὅμιλον ἀστέρων ἀπλανῶν,
Μὴ τάσει ἐπιπόνῳ πονηρᾷ.
Πῆξει δὲ πλάνην οὐκ ἐχούσῃ φέρεσθαι.
Ἔπηξε δὲ καὶ πολὺν ὅμιλον ἀστέρων ἀπλανῶν,
Τὸ πῦρ πρὸς τὸ πῦρ ἀναγκάσας.
Πῆξει πλάνην οὐκ ἐχούσῃ φέρεσθαι.
Ἓξ αὐτοὺς ὑπέστησεν, ἕβδομον ἠελίου
Μεσεμβολήσας πῦρ.
Τὸ ἄτακτον αὐτῶν εὐτάκτοις ἀνακρεμάσας ζώναις.
Τίκτει γὰρ ἡ θεὰ, ἠέλιόν τε μέγαν καὶ λαμπρὰν σελήνην.
Αἰθὴρ, ἥλιε, πνεῦμα σελήνης, ἀέρος ἀγοί,

Totum mundum ex igne & aqua & terra
Et omni-alente aëre.
Arcana & ea quæ proferuntur mundi Synthemata.
Aliam juxta aliam vitam, ex divisis canalibus.
Desuper permeantis in oppositum,
Per centrum terræ & quintum medium, alium
Igneum, ubi descendit usque ad materiales canales
Vitam ferens ignis.
Stimulo incitans seipsum lumine resonante.
Fontanum alium, qui Empyreum mundum agit.
Centrum à quo omnes, usque quo fortè æquales fuerint.
Symbola enim paterna Mens seminavit per mundum.
Medium inter patres cujusque centrum fertur.
Mentis enim imitamen est, quod verò fabrefactum habet aliquid corporis.

VIII. Cœlum.

Septem enim in moles firmavit Pater firmamenta
Cœlum rotundâ figurâ circumcludens. (*Mundorum,*
Finxit multum cœtum astrorum non errantium,
Animalium verò errantium constituit septenarium numerum.
Terram in medio ponens, aquàm verò in telluris sinu-
Atque aërem supra hæc. (*bus*
Finxit multum cœtum astrorum non errantium,
Non tensione laboriosâ malâ,
Sed fixione errorem non habente, ut feratur.
Finxitque multum cœtum astrorum non errantium,
Ignem ad ignem cogens,
Fixione errorem non habente, ut feratur.
Sex eos constituit, septimum Solis
Medium jaculatus ignem (*Zonis,*
Quod inordinatum in eis bene ordinatis suspendens
Parit enim Dea Solem magnum, & splendidam Lunam.
Æther, Sol, spiritus Lunæ, Aëris ductores,

Ἡλιακῶν τε κύκλων, καὶ μηναίων κραναχισμῶν,
Κόλπων τε ἠερίων.
Αἴθερης μέλος, ἠελίου τε καὶ μήνης ὀχετῶν, ἤτε ἠέρος.
Καὶ πλατὺς ἀὴρ, μηναῖός τε δρόμος, καὶ πόλος
ἠελίοιο.
Συλλέγει αὐτὸ, λαμβάνουσα αἴθερης μέλος,
Ἠελίου τε, Σελήνης τε καὶ ὅσα ἠέρι συνέχονται.
Πῦρ πυρὸς ἐξοχέτευμα, καὶ πυρὸς ταμίας.
Χαῖται γὰρ ἐς ὀξὺ πεφυκότι φωτὶ βλέπονται,
Ἔνθα Κρόνος.
Ἠέλιος πάρεδρος ἐπισκοπέων πόλον ἁγνόν.
Αἰθέριός τε δρόμος, καὶ μήνης ἄπλετος ὁρμὴ,
Ἠέριοί τε ῥοαί.
Ἠέλιόν τε μέγαν καὶ λαμπρὰν σελήνην.

θ'. Χρόνος.

Θεὸν ἐγκόσμιον, αἰώνιον, ἀπέραντον,
Νέον καὶ πρεσβύτην, ἑλικοειδῆ,
Καὶ πηγαῖον ἄλλον, ὃς τὸν ἐμπύριον κόσμον ἄγει.

ι. Ψυχὴ, Σῶμα, Ἄνθρωπος.

Χρή σε σπεύδειν πρὸς τὸ φάος καὶ Πατρὸς αὐγὰς,
Ἔνθεν ἐπέμφθη σοι ψυχὴ, πολὺν ἑσσαμένη νοῦν.
Ταῦτα Πατὴρ ἐνόησε, βροτὸς δ' οἱ ἐψύχωτο.
Σύμβολα γὰρ πατρικὸς νόος ἔσπειρε ταῖς ψυχαῖς
Ἔρωτι βαθεῖ ἀναπλήσας τὴν ψυχήν.
Κατέθετο γὰρ νοῦν ἐν ψυχῇ, ἐν σώματι δὲ
Ὑμέας ἐγκατέθηκε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.
Ἀσώματα μὲν ἐστι τὰ θεῖα πάντα,
Σώματα δ' ἐν αὐτοῖς ὑμῶν ἕνεκεν ἐνδέδεται,
Μὴ δυναμένων κατασχεῖν ἀσωμάτους τῶν σωμάτων,
Διὰ τὴν σωματικὴν, εἰς ἣν ἐνεκεντρίσθητε φύσιν.
Ἐν δὲ θεῷ κεῖνται πυρσοὺς ἕλκουσαι ἀκμαίους.

Ἐκ

Solariúmque circulorum, & Lunariumstrepituum,
Sinuúmque aëreorum,
Ætheris cantus, Solisque & Lunæ canalium &
Æëris.
Et latus aër Lunarisque cursus, & polus Solis.
Colligit illud, accipiens ætheris cantum,
Solisque, Lunæque & quæcumque Aëre continentur.
Ignis derivatio ignis, & ignis penu.
Crines enim in acutum nato lumini conspiciuntur,
Ubi Saturnus.
Sol adsessor intuens polum purum.
Æthereúsque cursus & Lunæ ingens impetus,
Æthereique fluxus.
Magnúmque Solem & splendidam Lunam.

IX. Tempus.

Deum qui est in mundo, æternum, infinitum,
Juvenem & Senem, spiræ similem,
Et fontanum alium, qui Empyreum mundum agit.

X. Anima, Corpus, Homo.

Oportet te festinare ad lucem, & Patris radios,
Unde missa est tibi anima multam induta mentem.
Hæc Pater cogitavit, mortalisque ei animatus.
Symbola enim paterna Mens seminavit in animabus,
Amore profundo replens animam.
Reposuit enim mentem in anima, in corpore verò
Vos deposuit Pater Hominúmque & Deorum.
Incorporea quidem sunt divina omnia,
Corpora verò in illis vestri causâ sunt alligata,
Cùm non possent corpora continere incorporeos,
Ob corpoream, in quam concentrati estis, naturam.
In Deo jacent faces trahentes validas.

A Pa-

Ἐκ πατρόθεν κατιόντες, ἀφ᾽ ὧν ψυχὴ καθιόντων
Ἐμπυρίων δρέπεται καρπῶν ψυχότροφον ἄνθος.
Διὸ καὶ νοήσασαι τὰ ἔργα τοῦ Πατρὸς
Μοίρας εἱμαρμένης τὸ πτερὸν φεύγουσιν ἀναιδές.
Κἂν γὰρ τὴν δὲ ψυχὴν ἴδῃς ἀποκαθισταμένην,
Ἀλλ᾽ ἄλλην ἐνίησι Πατὴρ ἐναρίθμιον εἶναι.
Ἦ μάλα δὴ κεῖναι γε μακάρταται ἔξοχα πασέων
Ψυχάων ποτὶ γαῖαν ἀπ᾽ οὐρανόθεν προχέονται.
Κεῖναι ὄλβιαί τε, καὶ οὐ φατὰ νήματ᾽ ἔχουσαι,
Ὅσσαι ἀπ᾽ αἰγλήεντος, ἄναξ, σέθεν ἠδὲ καὶ αὐτοῦ
Ἐκ Διὸς ἐξεγένοντο, Μίθου κρατερῆς ὑπ᾽ ἀνάγκης.
Ἡγείσθω ψυχῆς βάθος ἄμβροτον, ὄμματα δ᾽ ἄρδην
Πάντα ἐκπέτασον ἄνω.
Μήτε κάτω νεύσεις εἰς τὸν μελαναυγέα κόσμον
Ὧι βυθὸς αἰὲν ἄπιστος ὑπόστρωται τε καὶ Ἅδης
Ἀμφικνεφὴς, ῥυπόων, εἰδωλοχαρὴς, ἀνόητος,
Κρημνώδης, σκολιὸς, πηρὸν βάθος, αἰὲν ἑλίσσων,
Αἰεὶ νυμφεύων ἀφανὲς δέμας, ἀργὸν, ἀπνεύμονον.
Καὶ ὁ μισοφαὴς κόσμος καὶ τὰ σκολιὰ ῥεῖθρα.
Ὑφ᾽ ὧν πολλοὶ κατασύρονται.
Ζήτησον παράδεισον.
Δίζεο σὺ ψυχῆς ὀχετὸν, ὅθεν, ἤ τινι τάξει
Σώματι θητεύσας, ἐπὶ τάξιν ἀφ᾽ ἧς ἐῤῥύης
Αὖθις ἀναστήσεις, ἱερῷ λόγῳ ἔργον ἑνώσας.
Μήτε κάτω νεύσεις, κρημνὸς κατὰ γῆς ὑπόκειται,
Ἑπταπόρου σύρων κατὰ βαθμίδος· ἣν ὕπο δεινῆς
Ἀνάγκης θρόνος ἐστί.
Μὴ σὺ αὔξανε τὴν εἱμαρμένην.
Ψυχὴ ἡ μερόπων θεὸν ἄγξει πῶς ἐς ἑαυτὴν,
Οὐδὲν θνητὸν ἔχουσα, ὅλη θεόθεν μεμέθυσται.
Ἁρμονίαν αὐχεῖ γὰρ, ὑφ᾽ ἧ πέλε σῶμα βρότειον.
Ἐκτείνας πυρινὸν νοῦν
Ἔργον ἐπ᾽ εὐσεβίης ῥευστὸν καὶ σῶμα σαώσεις.
Οὐ τοῦ τῆς ὕλης κρημνοῦ σκύβαλον καταλείψει,
Ἀλλὰ καὶ εἰδώλῳ μερὶς εἰς τόπον ἀμφιφάοντα.
Παντόθεν ἀπλάστῳ ψυχῇ πυρὸς ἡνία τεῖνον.
Ἡ πυριθαλπὴς ἔννοια πρώτην ἔχει τάξιν.

Τα

A Patre descendentes, à quibus descendentibus anima
Carpit Empyrei fructus florem animas alentem.
Ideòque concipientes opera Patris
Parcæ fatalis alam impudentem fugiunt.
Quamvis enim hanc animam videris restitutam,
At aliam immittit Pater, ut numerum expleat,
Certè illæ beatissimæ præ omnibus
Animabus ad terram è cœlo effunduntur.
Illæ & beatæ & ineffabilia stamina habentes.
Quæcumque à lucente, ô Rex, te, vel etiam ipso
Jove sunt progenitæ, Mithi valida à necessitate.
Profunditas animæ immortalis dicatur, oculos verò
Omnes extende sursum. (penitus
Nec deorsum pronus sis in nigricantem mundum,
Cui profunditas semper infida substrata est, & Hades
Circumquaque nubilus, squallidus, idolis gaudens, amens,
Præceps, tortuosus, cæcum profundum, semper convolvens,
Semper tegens obscurum corpus, iners, & spiritu carens.
Et osor lucis mundus & tortuosa fluenta,
Sub quæ multi trahuntur.
Quære Paradisum.
Quære tu animæ canalem, unde aut quo ordine
Servus factus corporis, in ordinem à quo effluxisti
Iterum resurgas, sacro sermoni opus uniens.
Neque deorsum sis pronus, præcipitium terræ subjacet,
Septemvium trahens per descensum, sub quo gravis
Necessitatis thronus est.
Ne tu auge fatum. (sam,
Anima mortalium Deum coget quodammodo in seip-
Nihil mortale habens, tota divinitus inebriata est.
Nam resonat Harmoniam, sub qua est corpus mortale.
Extendens igneam mentem
Ad opus pietatis fluxum etiam corpus servabis.
Nec materiæ præcipitio retrimentum relinquet.
Sed idolo etiam pars est, in loco undequaque splendente.
Undique animæ non fictæ ignis habenas tende.
Cogitatio igne fota primum habet ordinem,

Mor-

Τῷ πυρὶ γὰρ βροτὸς ἐμπελάσας θεόθεν φάος ἕξει.
Δυθύνοντι γὰρ βροτῷ κραιπνοὶ μάκαρες τελέθουσι.
Αἱ ποῖναι μερόπων ἄγχτειραι.
Καὶ τὰ κακῆς ὕλης βλαστήματα χρηστὰ, καὶ ἐσθλά.
Ἐλπὶς τρεφέτω σε πυρίοχος ἀγγελικῷ ἐνὶ χώρῳ
Ἀλλ' οὐκ εἰσδέχεται κείνης τὸ θέλειν πατρικὸς Νοῦς,
Μέχρις ἂν ἐξέλθῃ λήθης, καὶ ῥῆμα λαλήσῃ
Μνήμην ἐνθεμένη πατρικοῦ συνθήματος ἁγνοῦ.
Τοῖς δὲ διδακτὸν ἔδωκε φάους γνώρισμα λαβέσθαι,
Τοὺς δὲ καὶ ὑπνώοντας ἑῆς ἐνεκάρπισεν ἀλκῆς.
Μὴ πνεῦμα μολύνῃς, μήτε βαθύνῃς τὸ ἐπίπεδον,
Μὴ ἐξάξῃς, ἵνα μὴ ἐξιοῦσα ἔχῃ τι.
Βίῃ ὅτι σῶμα λιπόντων ψυχαὶ καθαρώταται.
Ψυχῆς ἐξωστῆρες ἀνάπνοοι, εὔλυτοί εἰσι.
Λαιῇσ' ἐν λαγόσιν Ἑκάτης ἀρετῆς πέλε πηγὴ,
Ἔνδον ὅλη μίμνουσα, τὸ παρθένον οὐ προϊεῖσα.
Ὦ τολμηροτάτης φύσεως ἄνθρωπε τέχνασμα!
Μὴ τὰ πελώρια μέτρα γαίης ὑπὸ σὴν φρένα βάλλου,
Οὐ γὰρ ἀληθείης φυτὸν ἐνὶ χθονί.
Μήτε μέτρει μέτρα ἠελίου, κανόνας συναθροίσας,
Ἀϊδίῳ βουλῇ φέρεται, οὐχ ἕνεκα σεῖο.
Μηναῖον μὲν δρόμημα, καὶ ἀστέριον προπόρευμα,
Μήνης ῥοῖζον ἔασον, ἀεὶ τρέχει ἔργῳ ἀνάγκης.
Ἀστέριον προπόρευμα σέθεν χάριν οὐκ ἐλοχεύθη.
Αἴθριος ὀρνίθων ταρσὸς πλατὺς οὔποτ' ἀληθής.
Οὐ θυσιῶν, σπλάγχνων τ' ὄθομαι· τάδε ἀθύρματα πάντα,
Ἐμπορικῆς ἀπάτης στηρίγματα. Φεῦγε σὺ ταῦτα
Μέλλων εὐσεβίης ἱερὸν παράδεισον ἀνοίγειν,
Ἔνθ' ἀρετὴ, σοφία τε καὶ εὐνομία συνάγονται.
Σὸν γὰρ ἀγγεῖον θῆρες χθονὸς οἰκήσουσι.
Αὐτοὺς δὲ χθὼν κατοδύρεται εἰς τέκνα μέχρις.

Mortalis enim igni proximus factus, à Deo lumen habebit.
Immoranti enim mortali celeres beati absolvunt.
Pœnæ hominum angores.
Et malæ materiæ germina utilia & bona.
Spes nutriat te ignea, in regione Angelica
Sed non adprobat voluntatem ejus paterna Mens,
Donec exierit ex oblivione, & verbum elocuta fuerit,
Memoria indens paterni Synthematis puri.
His quidem notitiam luminis quæ docetur dedit capere,
Alios verò vel dormientes participes fecit sui roboris.
Ne spiritum macules, neque deprimas superficiem,
Ne educas, ne exiens habeat quidpiam.
Vi corpus relinquentium animæ purissimæ.
Animæ expulsores, respiratores, faciles solutu sunt
Sinistris in ilibus Hecates virtutis erat fons,
Intus totus manens, virgineum non abjiciens.
O audacissimæ naturæ homo artificium!
Neque ingentes mensuras terræ in tuam mentem pone,
Non enim veritatis planta est in terra
Neque metiaris mensuras Solis, collectis regulis,
Æterno consilio fertur, non gratiâ tui.
Lunæ quidem cursum & Astrorum progressum,
Lunæ, inquam, strepitum dimitte, semper currit opere necessitatis
Astrorum progressus tuî gratiâ non est partu editus.
Aëria avium lata ala numquam est vera. (sunt
Sacrificia, viscera que non curo, hæc omnia ludibria
Mercatoriæ deceptionis fulcra, fuge tu ista
Qui sacrum pietatis Paradisum reclusurus es,
Ubi virtus, sapientiáque & æquitas congregatæ sunt.
Tuum enim vas bestiæ terræ habitabunt.
Eos terra deflet, usque ad liberos.

ια΄. Δαίμονες, Τελεταί.

Ἡ φύσις πείθει εἶναι τοὺς δαίμονας ἁγνοὺς,
Καὶ τὰ κακῆς ὕλης βλαστήματα χρηστὰ καὶ ἐσθλά.
Ἀλλὰ ταῦτα ἐν ἀβάτοις σηκοῖς διανοίας ἀνελίττω.
Πῦρ ἴκελον σκιρτηδὸν ἐπ' ἠέρος οἶδμα τιταίνων.
Ἢ καὶ πῦρ ἀτύπωτον, ὅθεν φωνὴν προθέουσαν,
Ἢ φῶς πλούσιον, ἀμφιφαὲς, ῥοιζαῖον, ἑλιχθέν.
Ἀλλὰ καὶ ἵππον ἰδεῖν φωτὸς πλέον ἀστράπτοντα.
Ἢ καὶ παῖδα τεοῖς νώτοις ἐποχούμενον ἵππου,
Ἔμπυρον, ἢ χρυσῷ πεπυκασμένον, ἢ παλίγυμνον.
Ἢ καὶ τοξεύοντα καὶ ἑστῶτα ἐπὶ νώτοις.
Πολλάκις ἢν λέξῃς μοι, ἀθρήσῃς πάντα λέοντα,
Οὔτε γὰρ οὐράνιος κυρτὸς τότε φαίνεται ὄγκος,
Ἀστέρες οὐ λάμπουσι, τὸ μήνης φῶς κεκάλυπται,
Χθὼν οὐχ ἕστηκε, βλέπεται τε πάντα κεραυνοῖς.
Μὴ φύσεως καλέσῃς αὐτοπτὸν ἄγαλμα,
Οὐ γὰρ χρὴ κείνους σε βλέπειν πρὶν σῶμα τελεσθῇ,
Τὰς ψυχὰς θέλγοντες ἀεὶ τελετῶν ἀπάγουσι.
Ἐκ δ' ἄρα κόλπων
Γαίης θρώσκουσι χθόνιοι κύνες, οὔποτ' ἀληθὲς
Σῶμα βροτῷ ἀνδρὶ δεικνύντες.
Ἐνέργει περὶ τὸν Ἑκατικὸν στρόφαλον.
Ὀνόματα βάρβαρα μήποτ' ἀλλάξῃς,
Ἔστι γὰρ ὀνόματα παρ' ἑκάστοις θεόσδοτα
Δύναμιν ἐν τελεταῖς ἄρρητον ἔχοντα.
Ἡνίκα μὲν βλέψῃς μορφῆς ἄτερ εὐιερὸν πῦρ
Λαμπόμενον σκιρτηδὸν ὅλου κατὰ βένθεα κόσμου,
Κλῦθι πυρὸς φωνήν.
Ἡνίκα δ' ἐρχόμενον πρόσγειον δαίμον' ἀθρήσῃς
Θύε λίθον Μνιζουριν ἐπαυδῶν.

XI. Dæmones, Sacrificia.

Natura suadet esse Dæmonas puros,
Et malæ materiæ germina utilia & bona.
Sed hæc in abditis septis Mentis evolvo.
Ignem similem saltuatim in aëris fluctum extendens;
Vel etiam ignem sine figura, atque hinc vocem emanantem,
Aut lumen dives, circumquaque radians, streperum, convolutum.
Sed & equum videre, luce magis fulgurantem,
Aut etiam puerum suis humeris vectum equo,
Ignitum, vel auro distinctum, vel nudum,
Vel sagittantem & stantem super humeris
Sæpe si mihi dixeris, videbis omnia quasi leonem,
Neque enim cœli rotunda moles tunc apparet,
Astra non splendent, Lunæ lumen occultatum est,
Terra non stat, videntur omnia ope fulminum
Ne naturæ voces ipsum per se conspicuum simulacrum,
Non enim oportet te ab illis cerni, priusquàm corpus sacrificiis sit purgatum.
Animas mulcentes semper à Sacris abducunt.
Sanè ex sinubus
Terræ exsiliunt terrestres canes, numquam verum
Corpus (aut *signum* σῆμα) *mortali monstruntes.*
Operare circa Hecaticum strophalum.
Nomina barbara numquam mutaveris,
Sunt enim nomina apud singulos à Deo data,
Vim in sacris arcanam habentia.
Quando videris sine forma sacrum ignem
Splendentem saltuatim, per profunditates totius mundi,
Audi vocem ignis.
Quando accedentem Dæmonem terrestrem conspexeris,
Sacrifica lapidem, inclamando Mnizurim.

NOTÆ INTERPRETIS

IN

ORACULA

CHALDAICA.

QUANTAVIS laude, qui hæc Oracula collegit, *Franciscus Patricius* dignus sit, duo tamen hîc peccata commisit, quibus hactenus medelam invenire non licuit. Primum Scriptores unde ea hausit non indicavit, aut indiligenter, non addito loco, laudavit; deinde unâ serie hæc ἀποσπασμάτια, cùm distingui deberent, descripsit. Non dissimulandum tamen ante *Patricium* in fragmenta, eodem modo coacervata, scripsisse *Plethonem* & *Psellum*; unde integram collectionem, ab aliquot sæculis, interiisse apparet. Hinc fit ut ex Scriptoribus, ex quibus desumta sunt, explicari nequeant, quod utilissimum esset; neque etiam, quibusdam in locis, quæ conjungenda, quæ divellenda, satis intelligere possit Lector. Huc accedit tertium incommodum, quod cùm occasio dictorum, & series rerum ignotæ sint, ex vitiosis versibus menda vix tolli queant. Conjecturis enim indulgere, in his Sibyllæ foliis, temerarium prorsus esset; nec collector ipse multùm ausus est, seu prudentia ejus fuerit, seu minùs accurata Linguæ Græcæ cognitio, quam ex multis ejus Translationis locis colligere est, si quis adeat *Stanleii*, aut *Patricii* ipsius Editionem; multa enim evidentia menda sustulimus, cùm nulla esset ratio ob quam mala Translatio sacro-

sacrosancta haberetur. Ceterùm sequentes Notulæ unde petitæ sint, ex lectione satis apparebit.

In Sectionem I.

UBi *Paterna &c.*] Est nomen *Pselli* in margine, sed non exstat in eo *Pselli* in hæc Oracula Commentario, quem editum habemus. Μόνας, apud Platonicos, dicitur supremum illud Numen, ex quo omnes Dii inferiores processerunt; de quo plurima, æquo etiam subtiliora, invenire est apud *Proclum*, in Theologia Platonica passim, & Lib. v. c. 34. p. 320.

1 *Unitas*] *Proclus*, in *Theologia Platonica*, passim Μονάδα, & Ἑνάδα summum ac primum Principium appellat, ut necesse non sit loca proferre. Vide & *Jamblichum* Sect. VIII. c. 2. *de Myst. Ægypt.*

20 *Duo generat*] Hoc est, *Mentem* & *Animam*, Νοῦν ϗ ψυχὴν, de quibus *Plotinus* Lib. IX. Ennead. 2. Hæc cùm nihil affine habeant Græcæ mythologiæ, admodum verisimile est ab iis populis, qui subli- miùs de Deo philosophabantur, eúmque ἀνθρωποφυῆ esse negabant, ad *Platonem* ejúsque discipulos manasse.

3 *Dyas*] Mens & Anima, quæ sunt πρωτίστης τριάδος ὑποστάσεις *primæ Triadis personæ*, ut loquitur *Proclus* loco laudato. Vel etiam hoc nomine intelligendum secundum Principium, quod mundum creavit. *Proclus* in eodem Opere Lib. V. c. 23. ita de primo Deo loquutus pergit: παρ' αὐτῷ γὰρ ἡ Δυὰς ἵδρυται καθ' ἣν τὰ πάντα γεννᾷ —— καὶ παράγει, καὶ ζωογονεῖ. δεῖ δή που καὶ διὰ τῶν ὀνομάτων αὐτοῦ τὴν Δυάδα κατὰ τὴν παλαιὰν φήμην ἀφιεροῦν: *apud eum constituta est Dyas, per quam omnia generat, producit, & vivificat. Oportet ergo, etiam per nomina ei Dyadem, secundùm antiquam famam, consecrare.* Deinde ad hæc verba adludens, addit: νοεραῖς γὰρ ἀστράπτει τομαῖς, καὶ διαιρεῖ τὰ ὅλα

 καὶ

καὶ συνάγει, καὶ μίαν τάξιν ἄλυτον ἐκ πολλῶν συνίστησι; *intellectualibus fulgurat sectionibus, & universa dividit, & cogit, & unum ordinem indissolubilem ex multis constituit.*

Intellectualibus divisionibus] De voce νοερὸς dicemus in Indice. Τομαὶ hîc dicuntur proprietates, quibus una ὑπόστασις ab alia distinguitur, seu species diversæ Naturarum. Eodem modo sumitur apud *Proclum*, Theol. Plat. Lib. V. c. 3. & alibi. Igitur νοεραὶ τομαὶ sunt διακρίσεως νοερᾶς σύμβολα, ut idem loquitur, seu *Symbola intellectualis discriminis* quod est inter duas hasce Hypostases. Qua in re situm sit id discrimen, docebit *Plotinus* loco laudato.

5 *Toto in mundo*] Vel, *in omni mundo*, hoc est, quolibet. Dubium an hîc intelligatur ἡ τῶν νοητῶν πρωτίστη τριὰς *intelligibilium prima Trinitas*; à qua cùm omnia manaverint, dici potest ubique splendere; an verò cuique mundo tribuatur sua Trinitas, seu ex intellectualibus, seu ex intelligibilibus; de quibus consulendus *Proclus*, in Theol. Plat. Lib. III. c. 12, & 13. Lib. IV. c. 27.

6 *Sectionis*] Hoc est, generum & specierum in quæ res, secundùm differentias suas, divisæ sunt. Sæpè hanc doctrinam habet *Proclus*, cujus hæc sunt verba Lib. VI. c. 2. μία καὶ συνεχής ἐστιν ἡ τῶν θεῶν πρόοδος, ἄνωθεν ἀπὸ τῶν νοητῶν καὶ κρυφίων ἑνάδων εἰς τὸν ἔσχατον μερισμὸν (ut hîc τμῆσιν) τελευτήσασα τῆς θείας αἰτίας: *unus & continuus est Deorum progressus supernè manans ab intelligibilibus & latentibus Unitatibus, in ultimam divinæ causæ partitionem desinens*; hoc est, in infimas species, ut loquuntur Logici.

Ordo] Existimabant ab occultissima Unitate intelligibili, hoc est, à summo Deo, per varios gradus proprietatum manasse Naturas omnes, adeò ut minùs præstantes præstantioribus subjacerent. Idem: μία σειρὰ καὶ τάξις ἀδιάλυτος ἄνωθεν καθήκει διὰ τὴν τῆς πρωτίστης αἰτίας ἀνυπέρβλητον, καὶ τὸ ἑνιαῖον κράτος αὐ-

αὐτῆς: *unica catena & ordo indissolubilis supernè descendit, propter eximiam primæ causæ bonitatem, & singularem ejus potentiam.* Vide Indicem, in *Osiridis Catena.*

7 *In tria enim*] Hoc est, omnium rerum Principia triplicia esse, qua de re vide Lib. I. Sect. 2. c. 4. & *Proclum* locis laudatis, ac Libro præsertim III.

Mens Patris] Dubium an Pater ipse intelligatur, an secunda Natura, quæ *Mens* dicitur. Quid significetur voce εἶπε *dixit* docet versus 89: *quæ Mens dicit intelligendo sanè dicit*. Nempe, Ratio aut Mens triplicia esse voluit Principia, ex quibus omnia manarent, ut docet v. 8.

9 *In tria enim*] Videtur idem esse Oraculum quod est versu septimo repetitum à *Franc. Patricio*, quia aliter expressum, seu pauculis aliis conjunctum invenit. Fortasse fuere variæ translationes eorumdem Oraculorum, nam apud *Synesium*, & alios aliter quædam concepta sunt, atque in *Plethonis* & *Pselli* collectaneis.

10 *Mente omnia gubernans*] Crediderunt Platonici summam illam Μονάδα, ex qua omnia fluxerunt, rerum administrationem secundæ Menti potissimùm tradidisse, ut habetur in Oraculorum versu 26. Socrates in *Philebo* ὑποτίθεται, ut verbis *Procli* Theol. Lib. V. cap. 23. utar, ΝΟΥΝ τὰ πάντα διακοσμεῖν, ὥσπερ οἱ πρὸ αὐτοῦ σοφοὶ, καὶ τόν τε ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην, καὶ πᾶσαν τὴν περιφορὰν διακυβερνᾶν, *statuit à Mente omnia disponi, ut sapientes qui ante eum fuerunt, & Solem, & Lunam & universam circumactionem ab eadem regi.*

13 *Triadis corpus*] Fortè ὕλην, seu οὐσίαν *essentiam* Trinitatis secundæ intelligunt Oracula voce δέμας.

Antequàm esset] Ita verto πρὸ τῆς οὔσης *ante eam quæ est*, quasi esset πρὸ τοῦ εἶναι. Vult Oraculum antequàm exsisteret secunda Trias, hoc est, antequàm pecu-

peculiarem haberet ὕπαρξιν, seu ὑπόστασιν diversam ab ὑπάρξει primæ Trinitatis; in prima οὐσιωδῶς secundam fuisse, ut effectum in causa, antequàm seorsim à causa exsistat. Existimabant Platonici in prima causa inferiores omnes fuisse ab æterno, atque inde προελθεῖν. Vide versl. 18 & 19, & *Plotinum* Enneade V. Lib. VIII. cap. 12. Christiani πλατωνίζοντες dicebant similiter de *Ratione*, aut *Verbo*: πρὶν ἐνεργείᾳ γεννηθῆναι, δυνάμει ἦν ἐν τῷ πατρὶ ἀγεννήτως, *priusquàm actu generaretur, erat in Patre, ingenitâ ratione.* Ariani hoc negabant, quòd *Verbum*, aut *Rationem* non ex ipsa divina essentia manasse, sed è nihilo prodiisse, volente Patre, censerent; quod damnarunt Nicæni Episcopi, quando eos qui de *Verbo* dicerent: πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, *antequàm generaretur non erat*, anathemate percusserunt. Vide *Theodoret.* Lib. I. Hist. Eccles. cap. 12.

Cujus quæ metiuntur] Verba hæc videntur corrupta, nec à nobis emendari possunt, quia *Damascius*, ex quo hausta sunt, nondum editus est; sine quo conjecturis indulgere, sine temeritate, nemini licuerit.

16 *Sacrum primum curriculum*] *Patricius* hosce duos versiculos intrepretatus non est, cùm verba non sint difficiliora aliis; fortè quoòd nihil faciant ad Sectionis hujus titulum, neqne enim ad Triadem ullatenus pertinere videntur; sed potiùs ad multiplices mundos, quibus tamen quomodo possint adcommodari non satis video. Vide Lib. I. Sect. 2. cap. 12. & seqq.

18 *Fons fontium*] Hîc πηγὴ idem est ac causa cùm efficiens, tum materialis, ut loquuntur. Vult ergo Oraculum, summam Monadem esse causam causarum omnium. Sed *Fontes* peculiari vocabulo certa quædam Principia appellabant, de quibus vide Lib. I. Sect. 2. c 7. *Proclus* quidem in Philosophia Platonica, πηγαῖον κρατῆρα peculiariter vocat τὴν τῶν ψυχῶν πρωτουργὸν αἰτίαν *præcipuam animarum causam.* L. V. c. 34.

c. 34. Ceterùm *Thom. Gale* vir eruditus, atque in Platonicorum Scriptis versatus, laudat hunc versum integrum p. 299. Notarum in *Jamblichum*, addens πέρας ante ἁπασῶν, ut Deus dicatur *finis omnium fontium*, hoc est, in quo desinit omnium causarum enumeratio, quando ab inferioribus ad superiores recensentur. Eò cùm perventum est, Mens nostra habet πέρας τὸ ἀκρότατον θεωρίας, *supremum contemplationis terminum*, ut loquitur *Proclus* Lib. I. c. 3. pag. 6.

21 *Tractus Prester*] In his versibus haud semel Deus igni confertur, quòd Deum sub specie ignis apparere crederent Chaldæi, ut alibi diximus; unde ejus apparitiones voce Presteris eleganter exprimuntur. Seneca Lib. V. *Natur. Quæst. Cap.* 13. *Ventus circumactus & eumdem ambiens locum, & se in ipsa vertigine concitans*, turbo *est Qui si pugnacior est & diutiùs volutatur, inflammatur & efficit quem* πρηστῆρα *Græci vocant. Hic est igneus turbo.* Sanè species quædam Presteris describitur ab *Ezekiele* Cap. I, 4. ubi quomodo Gloria Dei sibi conspecta sit memorat: *Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis involvens & splendor in circuitu ejus.* Confer Exod. IX., 24 & inde ad vers. 30.

Obscurat] Legendum, nempe, ἀμυδροῖ, non ἀμυδροῖο, ut versus docet & *Proclus*, qui hæc verba profert Theol Lib. III. c. 19. atque eadem μυστικωτέρως explicat, de Naturis divinis à summa Monade procreatis, αἱ ἑνάδες αἱ θεῖαι, inquit, κατὰ βραχὺ προϊοῦσαι πάντων τῶν ἐγκοσμίων τὸ πλῆθος ἐπεγέννησαν. ἔστιν οὖν ἡ τριὰς αὕτη πηγὴ καὶ αἰτία πάντων, καὶ τὰ ἑξῆς. *Unitates divinæ brevi tempore progressæ omnium in mundo comprehensorum multitudinem genuerunt. Est ergo Trias ipsa fons & causa omnium*, &c. Vide vers. 25, 74 & 135.

Ignis florem] Πυρὸς ἄνθος est flamma. *Homerus*:

Αὐτὰρ ἐπεὶ πυρὸς ἄνθος ἀπέπτατο, παύσατο δὲ φλόξ.

Deinde cùm flos ignis avolasset, ac desiisset flamma. Quod imitatus *Lucretius* Lib. I.

— *flammai fulserunt flore coacto.*

Vult ergo Oraculum ignem, quo Numen indutum apparet, fulgentiorem esse flammâ.

In Sectionem II.

24 S*Eipsum rapuit*] Hoc est, interprete Plethone, ἑαυτὸν τῶν ἄλλων πάντων ἐξαίρετον ἐποίησεν, *se ab omnibus subduxit & segregem fecit*, quod essentia supremæ illius Unitatis sit planè ἀμέθεκτος, *imparticipabilis*, ut toto Lib. II Theologiæ suæ multis probat *Proclus*, qui post Parmenidem eam vocat TO EN, *quòd neque est in se ipso, neque in alio*: οὔτε ἐν αὑτῷ ἐστιν, οὔτε ἐν ἄλλῳ. Hanc esse Platonicorum mentem certò norunt qui eam expenderunt, licèt omnes eorum ratiocinationes non adsequamur; quòd ne ipsi quidem, ut fit, præ nimia subtilitate, satis scirent quid sibi vellent.

25 *Proprium ignem*] Hîc πῦρ videtur designare vim procreandi. Nam quemadmodum Sol περιλάμψει ignem suum veluti emittit, neque intra se continet: ita Deus summus inferiores Deos, quasi radios, ex se emisit, si Platonicis credimus. Hac enim comparatione utitur *Plotinus Ennead. V. Lib. I. Cap. 6.* Hic igitur Deus vim creaturas procreandi cohibuisse negatur.

26 *Rotatur*] Verbum τροχάζειν hoc in loco videtur e figulina arte desumtum, Deúsque sub periti figuli imagine describi.

28 *Quam*

28 *Quam primam &c.*] Hæc est *Platonis* sententia, qui à primo principio quidquam procreatum esse ἀμέσως negat, excepto secundo Principio; cùm pleræque Gentes id Principium, à quo mundus creatus est & regitur, primum existimarent. Hanc sententiam explicat *Numenius*, apud *Eusebium* Præp. Lib. XI. c. 18. ubi verba Philosophi ita παραφράζει: ὦ ἄνθρωποι, ὃν τοπάζετε ὑμεῖς Νοῦν οὐκ ἔστι πρῶτος, ἀλλ' ἕτερος πρὸ τούτου Νοῦς πρεσβύτερος καὶ θειότερος: *O homines, ea Mens prima non est quam conjicitis, sed alia Mens ante hanc antiquior & divinior.* Hinc *Proclus Origenem* & alios vituperat; quòd existimet ab *Origene* ἄῤῥητον illam Unitatis supremæ ὑπεροχὴν secundæ Menti tributam, Lib. II. Theol. c. 4. Vide & *Jamblich.* Sect. VIII. c. 2.

30 *Multum enim solus.*] Ita citatur hoc Oraculum ab aliis, conjungentibus hunc versum cum 37.

— πολὺ γὰρ μόνος ἐκ Πατρὸς ἀλκῆς
Δρεψάμενος νόου ἄνθος ἔχει τὸ νοεῖν πατρικὸν νοῦν.

31 *Mentis florem*] Ut *ignis flos* flamma dicitur; *vini flos* ejus odor: ita mentis flos erit facultas subtilissima cogitandi, aut intelligendi res merè intelligibiles, aut quid simile. Vide *Portum* in Lex. Dor. in voce ἄωτος.

32 *Opera intelligens enim &c.*] Existimabant Platonici secundam Mentem omnium rerum exemplaria νοερῶς apud se formare, quibus deinde similes creaturas extra se ederet. Hinc eam ἰδέαν ἰδεῶν vocant. Vide *Philonem* περὶ κοσμοποιΐας initio.

A se genita] Hoc Epitheton propriè Principio summo convenit, nam secundum à primo genitum est. Sed cùm tribuitur secundo, videtur αὐτογένεθλος significare Principium omnis procreationis expers, respectu aliarum inferiorum Naturarum: ut à *Proclo* Dii dicuntur αὐτοκίνητοι, quod sint ἀρχαὶ πά-

σης κινήσεως, *principia omnis motûs.* Lib. I. c. 14. *Jamblichus* Sect. VIII. c. 2. Deum secundum, quo superiorem, qui fuit ejus παράδειγμα, agnoscit, vocat αὐτοπάτορα & αὐτογόνον, cujus appellationis hanc profert rationem: ἀπὸ δὲ τοῦ ἑνὸς τούτου ὁ αὐτάρκης θεὸς ἑαυτὸν ἐξέλαμψε, διὸ καὶ αὐτοπάτωρ καὶ αὐτάρκης; *ab hoc uno Deus per se sufficiens sponte emicuit, unde sui Pater & sibi sufficiens dicitur.* Hinc intelligere licet quî fieri possit, ut quidam Veteres, Ariani dogmatis insimulati, nec immeritò, dicerent Λόγον esse αὐτόθεον, quod viros eruditos fefellit.

34 *Ut omnia maneant*] Videtur hoc velle Oraculum, ita omnia à Mente connexa esse & aptata inter se, ut se invicem conservent & tueantur; sed aliquid arcanius dicit versu 35.

35 *Neque omnibus Patris contexta*] Quod potest unum in obscuris hisce placitis fieri præstabo; nempe, Lectorem ad *Jamblichum*, hac de re agentem, de Myst. *Sect.* VI. c. 7. amandabo. Docet quædam esse ἀπόρρητα μυστήρια quæ custodiuntur à Dæmonibus, ne iis revelatis mundi compages difflueret. Tantùm abest ut quid velit intelligam, ut ne ipsum quidem *Jamblichum* mentem suam potuisse perspicuè explicare mihi persuasum sit.

39 *Finis paternæ profunditatis*] Quia, scilicet, Pater solam Mentem ipse genuit, & in procreando in ea substitit. Vide not. ad vs. 29. *Profunditas* autem dicitur Natura Patris ignota, ut quæ in profundo mari latent. *Valentiniani*, qui multa à Platonicis desumserant, βυθὸν quoque inter Principia numerabant.

40 *Neque progressus est.*] Hoc versu verba contineri *Damascii*, ex quo sequens petitus est, non Oraculi, observavit *Thom Gale* jam laudatus pag. 301. Observ. in *Jamblichum*. Ceterùm hic & tres sequentes versus videntur ad primum Principium pertinere, quod non progressus est in operando ultra Mentis procreationem.

41 *In Adyto*] Significat Dei primi naturam omnibus ignotam esse, neque enim eam cuiquam communem fecisse; ideóque silentio potiùs colendam, quàm temerè describendam. Eumdem magnifico verborum apparatu ita laudat *Proclus* Lib. II. c. 11. Ὑμνήσωμεν αὐτὸν οὐχ ὅτι γῆν καὶ οὐρανὸν ὑπέστησεν λέγοντες. οὐδ' αὖ ὅτι ψυχὰς καὶ ζώων ἁπάντων γενέσεις, καὶ ταῦτα μὲν γὰρ, ἀλλ' ἐπ' ἐσχάτοις. πρὸ δὲ τούτων ὡς πᾶν μὲν τὸ νοητὸν τῶν θεῶν γένος, πᾶν δὲ τὸ νοερὸν ἐξέφηνε, πάντας δὲ τοὺς ὑπὲρ τὸν κόσμον, καὶ τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ θεοὺς ἅπαντας, καὶ ὡς θεός ἐστι θεῶν ἁπάντων, καὶ ἑνὰς ἑνάδων, καὶ ὡς ἀδυνάτων ἐπέκεινα τῶν πρώτων, καὶ ὡς πάσης ΣΙΓΗΣ ἀρρητότερον, καὶ ὡς πάσης ὑπάρξεως ἀγνωστότερον, ἅγιος ἐν ἁγίοις, τοῖς νοητοῖς ἐναποκεκρυμμένος θεοῖς: *laudemus eum, non dicentes ab eo cœlum & terram creata, aut animas, & animalia progenita; nam hæc quidem progenuit, sed inter ultima. Laudemus eum, quòd ante hæc omne Deorum intelligibilium, omne intellectualium genus, omnes supra mundum, Deos omnes in mundo creaverit; quippe qui est* Deorum *omnium Deus, Unitas Unitatum, supra prima impossibilia, omni silentio ineffabilior, omni exsistentia ignotior, sanctus in sanctis, & ipsis intelligibilibus absconditus Diis.*

44 *Symbola*] Intelligit *Pletho* non ideas intelligibilium rerum animis nostris inditas; sed formas potiùs, vel differentias omnium generum intellexerim, hoc saltem in loco. Alioqui σύμβολα sunt mysticæ imagines, vel mystici ritus, cùm apud *Proclum*, tùm apud *Jamblichum*.

46 *Integra partitio*] Hoc est, qui integer remansit, & tamen multiplices rerum species procreavit. Nam Platonici vocant species μέρη & μερισμοὺς, & hæc cùm crederent ab indivisibilibus Diis originem ducere, non mirum si ita loquantur, ut videantur sibi contradicere. Vide *Proclum* Lib. VI. cap. 2. & 3. & 6. & alibi.

47 *Sensum addit mundis*] Mundus animalia esse credebant, quòd Deos quosdam quasi eorum animas intelligerent, ut ostensum in Chaldaïca doctrina. Hos autem Deos omnes processisse putabant à Secundo & Tertio Principiis. Vide *Proclum* Lib. I. cap. 13. pap. 37.

In Sectionem III.

50 N*On enim sine intelligibili*] De conjunctione intima Mentis cum primo principio, legendus *Plotinus*, *Enn. V.* Lib. I. cap. 4. qui docet hæc *συνυπάρχειν καὶ οὐκ ἀπολείπειν ἄλληλα*, *unà exsistere, neque se invicem relinquere*, & Mentem quidem totam occupatam esse *ἐν τῷ νοεῖν τὸ Ὂν in contemplando Ente*.

51 *Hæc quidem &c.*] Vide Indicem in vocibus Νοερὸς & Νοητός.

52 *Alimentum*] Vide Indicem Ibid. & *Proclum* Lib. IV. c. 16. ubi ostendit τὸ μὲν τρέφειν νοητῆς εἶναι τελειότητος, *alere esse perfectionis intelligibilis*.

55 *Profunditatem scitis*] Alii etiam pro ἴστε, habent ἔστε *sitis*.

57 *Omnis sectionis princeps est*] Omnes species procreavit Natura aliqua intelligibilis, & ad hanc tamquam ad Principium illæ referuntur.

58 *Flore mentis*] Acutissimâ intelligendi facultate, quæ vocatur *flamma mentis* vs. 64. *Proclus* interpretatur ἀκρότητα τοῦ νοῦ. Lib. I. c. 3. Idem Lib. V. c. 33. Patrem vocat ἄνθος τῆς ἀκλινοῦς τῶν ὅλων φυλακῆς, *florem immutabilis custodiæ universi.*

61 *Est enim roboris*] Hìc cùm essent manifesti versus inter se conjuncti sensu, & malè divulsi in lineas ad quas non pertinebant, eos meliùs distinguendos judicavimus, *Stanleii* notas sequuti. Potuisset & 70 conjungi cum sequente hoc modo: Ὄφρα καθῇς τὸ

νοητὸν ἐπεὶ νόου ἔξω ὑπάρχει. Sed quia vs. 53. hæc verba aliter citantur, intacta reliquimus.

18 *Sub duabus mentibus*] Sub prima & secunda Mente est Anima Mundi, unde animæ omnes profluxerunt, ut passim docet *Proclus*.

82 *Opifex qui ipse agens*] Hæc omnia de Anima Mundi intelligenda quæ Mundum procreavit, & rerum συνδέσμους, connexionem & symmetriam, tuetur. *Crateres* Animarum fontes conjunguntur cum Anima, quod unà cum illa individuas Animas procreent. Vide *Proclum* Lib. V. c. 30. initio ubi περὶ τῆς τῶν ψυχῶν κεράσεως, quæ fit ab Anima & à Cratere, ut hîc vs. 86. Animam autem Mundi à Mente generatam fuisse docebit inter alios *Plotinus ll.*

83 *Qui primus ex Mente*] Est tertium Principium, quod *Plato* ψυχὴν κόσμου vocat in Timæo.

90 *Potentia*] Quamvis *Psellus* Δύναμιν velit esse secundum Principium, & Νοῦν tertium, ut observatum à *Stanleio* Lib. I. Sect. 2. cap. 4. attamen Νοῦς à *Plotino* constanter dicitur secundum, & ψυχὴ tertium; & cùm ex antecedentibus, tum ex hoc versu apparet Δύναμιν dici tertium, Νοῦν secundum, in hisce Oraculis.

In Sectionem IV.

92 S*Ummitates*] Hîc ἀκρότητες eadem vocantur quæ πέρατα, hoc est, summæ quædam Naturæ, ex quibus omnes, secundùm certos ordines, processerunt, & in quibus tandem, ab infimis ad summa si adscendas, enumerando Naturarum varios ordines, desines. Passim ea voce utitur *Proclus*. Ita Cap. XVI. Lib. 4. τελεὰς γάρ ἐστιν ἡ νοητὴ, inquit, τῶν νοερῶν ἀκρότης *trias intelligibilis est summitas intellectualium.* Videntur eædem esse ἀκρότητες, de quibus Oraculum.

93 *Principale pratum*] Aut hæc sunt è *Platone* petita, aut *Plato* sua hinc petiit; quippe qui τὸ ἀληθείας πεδίον καὶ λειμῶνα, *campum & pratum veritatis*, in *Phædro* memoret. Quid sit explicat *Proclus* Lib. IV. Cap. 12. & seqq. Atque hoc pacto id definit Cap. XV. *facultatem genitricem vitæ, & rationum omnigenarum, & comprehensionem primariarum vitæ causarum, & varietatis & generationis specierum causam.* Hinc apparet quare dicatur ἀρχικὸς hîc αὐλὼν, cùm inter Principia sit numerandus.

94 *Principia*] Hîc intelligunt Oracula Principia νοερὰ, seu inferiora, quæ in contemplatione τῶν νοητῶν occupantur.

95 *Sensilibus*] Intelligit Dæmonas, quos materiales creditos ostendit *Stanleius* Lib. I Sect. 2 c. 9. & 17. quod docet etiam *Jamblichus* Sect. I. c. 20. ubi tradit Dæmonas esse Deorum Ministros, in iis administrandis quæ ad materiam pertinent.

96 *Transvectrices*] Sensum hujus vocis ita expressit *Apuleius*, de Deo Socratis: *Græco nomine* Δαίμονας *nuncupant inter mortales cælicolásque* vectores; *hinc precum, illinc donorum.*

99 *Indefesso*] Ἀντὶ τοῦ ἀκμάδι, quæ est vox nihili, scripsimus ἀκμῆτι, quod optimè convenit. Verbum ῥοιζέω, quod hîc & versu 109. usurpatur, petitum à stridore venti.

100 *Ideas*] Plato ita loquitur de hisce Ideis, ut illas videatur facere Naturas seorsim exsistentes, non modò à substantiis individuis, sed etiam à Deo ipso, quam opinionem ei tribuit *Aristoteles.* Negant tamen hanc Magistri sui fuisse mentem recentiores Platonici, qui fatentur quidem Ideas seorsim à substantiis, sed eas à Deo separatim esse negant, ut observavit *Thom. Gale* ad *Jamblichum* pag. 299. Et *Proclus* quidem, postquàm, primo in Parmenidem libro, protulit ex Orpheo & Oraculis quæ doctrinam de ideis confirment, addit de Peripateticis verba faciens: σμικρὰ φροντιστέον

τῶν σοφιστικῶν λόγων αὐτῶν, σαφῶς γὰρ οἱ θεοὶ εἰρήκασι ὡς ἔννοιαι τοῦ Πατρός εἰσι, μένουσι γὰρ ἐν ταῖς νοήσεσι τοῦ Πατρὸς, καὶ οὕτως προέρχονται ἀπὸ τοῦ Πατρὸς πρὸς τὴν τοῦ κόσμου δημιουργίαν: *parum curandi sunt eorum sophistici sermones, perspicuè enim Dii dixerunt ideas esse cogitationes Patris, manent enim in intellectu Patris, & sic progrediuntur à Patre ad Mundi creationem.* Verùm, licèt negare nolim hanc fortè fuisse Platonis mentem, attamen non ita facilè crediderim *Proclo*, aliisque ejus recentioribus discipulis; qui non tam quærunt, quid *Plato* censuerit, quàm quid sentire debuerit, ut rationi consentanea loqueretur, & quasi indubitatum adsumunt, ita ejus interpretandam mentem, ut à veritate non recedat. Sed & hoc vitium est plerorumque aliorum Interpretum.

117 *Iynges*] *Pletho* interpretatur τὰ νοητὰ εἴδη, *intelligibiles species. Psellus* δυνάμεις τινὰς μετὰ τὸν πατρικὸν βυθὸν, *potentias quasdam post paternam profunditatem tribus Triadibus constantes.* Sanè quod additur νοέουσι videtur ostendere hîc agi de Naturis quibusdam peculiari ὑπάρξει donatis.

In Sectionem V.

120 *Implacabilia fulmina.*] Ita etiam videntur dici quædam Naturæ, seu quidam Dii, de quibus vide Lib. I. Sect. II. c. 6.

Sinus] Videntur hac voce designari quædam divinæ Hypostases, quæ vim Creatoris excipiant. *Proclus* Lib. V. cap. 23. dicit à Creatore ζωογόνους κόλπους τὴν ὑπόστασιν λαχεῖν *vitæ, productores sinus exsistentiam accepisse.*

121 *Hecate*] Vide Indicem in hac voce.

124 *Custodiendus*] Hoc velle videtur Oraculum, ἀκρότητας, seu Naturas præstantes, quæ in unoquoque genere summæ sunt, esse igneâ veluti procellâ vesti-

vestitas, quâ inferiores Naturas submovit. Ad hoc Oraculum respicit *Proclus* Theol. Plat. Lib. V. cap. 34. ubi hæc verba occurrunt: ὡς γὰρ τὰ λόγια πρηστηροειδεῖ φρουρᾷ περιέχεσθαί φασι τὴν δημιουργικὴν τάξιν, οὕτω δὴ καὶ ὁ Πλάτων φύλακας αὐτῇ περιεστάναι τὰς τὴν ἐξῃρημένην αὐτῆς τῶν δευτέρων ἁπάντων ἀκρότητα φρουρούσας ἀκλινῶς: *ut Oracula dicunt rerum opificem ordinem, procelloso præsidio cingi: sic etiam Plato ait custodias ipsum circumsistere, quæ indeclinabiliter summitatem illius omnibus secundis naturis exemtam custodiunt.* Custodia, de qua hîc sermo est, videtur esse conservatio naturarum omnium, secundùm species suas; cum omnibus, quibus præditæ sunt, proprietatibus.

125 *Synochibus*] *Synoches* videntur esse Numina quæ cœlis, quibus inferiora *continentur* συνέχονται, præsunt. *Proclus* Theol. Lib. IV. c. 16. animas quæ sunt ἐπὶ τῷ τοῦ οὐρανοῦ νώτῳ, supra cœli dorsum, ait esse exemtas primo Synochum, deinde addit: Πάντα γὰρ συνέχων τῇ ἑαυτοῦ μιᾷ τῆς ὑπάρξεως ἀκρότητι, κατὰ τὸ λόγιον, αὐτὸς πᾶς ἔξω ὑπάρχει: *omnia continens unicâ existentiæ secundùm Oraculum, summitate, ipse totus extra est.* Respicit, ut videtur, ad aliquod Oraculum, quod non exstat; nam erravit *Portus*, qui λόγιον vertit *celebre dictum.* Paullò pòst, duos alios Synoches, secundum & tertium constituit, de quibus poterit consuli. Idem Lib. I. c. 13. ex motu cœlorum probat eos ψυχὰς ἡγεμονούσας habere.

126 *Sustentores inflexos*] Hi Anoches viduntur iidem esse ac Synoches. Auctor est *Psellus* eos vocari à Chaldæis κοσμαγωγούς, quòd Mundum regant. Eosdem ἄρχοντας & κοσμοκράτορας vocat *Jamblichus* Sect. II. c. 3. ad quem vide *T. Gale*.

134 *Teletarchæ*] *Plato* animas, quæ in Deorum sedem admittuntur, τελεῖσθαι ait τὴν τῶν τελετῶν μακαριωτάτην, *initiari beatissimo omnium sacro*: ideóque Deos qui Teletis hisce præsunt, earúmque auctores sunt, putat *Proclus*, cum bona *Platonis* venia, *Teletarchas*

tarchas vocari posse, licèt summus ille Magister eâ voce usus non esset. *Lib. IV.* c. 16. *Theol.*

In Sectionem VI.

145 QUod] Hoc ὅτι non pertinet ad versum, sed ad Scriptorem qui eum citavit. Hîc autem voce πῦρ substantiam spiritualem intelligunt & *Pletho* & *Psellus*; ac sanè in hisce Oraculis spiritualis natura passim ignea dicitur.

163 *Ne Naturam inspicias*] Legendum est enim φύσιν non φύσεως, nam ita legit *Proclus* Lib. V. c. 33. p. 317. & vult vocibus φύσις & εἱμαρμένη intelligi Creatorem, seu secundam Hypostasin; sed quare eam inspici vetent Oracula, non docet.

In Sectionem VII.

164 IPse operans] Hac voce videntur uti Oracula, quòd secunda Hypostasis, secundùm ea, fecerit ipsa mundum; prima verò non αὐτουργῶν, sed agens per secundam. Hoc verbo eodem sensu uti *Proclum* in Theologia observavi, licèt memoria locum non suppeditet.

In Sectionem VIII.

182 SEptem] Vide *Stanleium* Lib. I. Sect. 2 c. 12. & seqq.

Firmamenta] Στερεώματα. Videntur Chaldæi usi esse voce רקיע *rakiah*, quæ ita à LXX. Intt. vertitur, & hoc potest esse indicium hæc Chaldaïcè scripta, quale postea proferemus. Ceterùm cœlos,

los, ſeu mundos dici στερεώματα crediderim, non quòd Chaldæi eos ſolidos eſſe exiſtimarent, ſed quòd στερεῶσι, *firment*, hoc eſt, conſtringant & impediant quominus diffluant ea quæ ambiunt. Eadem de cauſa Dii horum præſides & Συνοχεῖς, & Ἀνοχεῖς ἀκραιπνεῖς dicuntur. *Proclus* certè Lib. IV. cap. 16. cœlum contendit συνεκτικὸν εἶναι τῶν ὑπ' αὐτοῦ πάντων, καὶ τῆς συνεχείας αἴτιον, *continere omnia quæ ſunt ſub ſe, & cauſam eſſe cur continua ſint.* *Cicero* in 2. de Nat. Deor. de ultimo cœlo ex Stoïcorum ſententia, qui inſtar Chaldæorum cœlos inferiores ſuperioribus involvi credebant: *Reſtat ultimus, & à domiciliis noſtris altiſſimus, omnia cingens & COERCENS cœli complexus, qui idem æther vocatur.* Iidem, auctore *Diogene Laërtio* in Zenone, ſeu Lib. VII. Segm. 140. negabant quidquam in mundo eſſe inane, atque omnia continua eſſe cenſebant, τοῦτο γὰρ ἀναγκάζειν τὴν τῶν οὐρανίων πρὸς τὰ ἐπίγεια σύμπνοιαν καὶ συντονίαν.

183 *Cœlum*] Sequentes verſus valde ſunt luxati & repetitionibus inquinati; ſed reſtitui vix queant, cùm fortè meliores non exſtent apud eos, ex quibus à *Patricio* hauſti ſunt.

190 *Fixione*] Vox erat Genethliacorum propria. Scholiaſtes *Ptolemæi*, apud *Joſ. Scaligerum*, in Manil. p. 32. περιττῶς εἰώθασι λέγειν γένεσιν Αἰγύπτιοι κόσμου. καὶ γὰρ ἀρχὴν μίαν οὐκ ἔχει, πολλὰς δὲ, τὰ δὲ μερικὰ καὶ πολλὰς καὶ μίαν. μίαν μὲν τὴν ἐξ ἀρχῆς καὶ ἐν τῇ γενέσει τῶν ἀστέρων σύγκρασιν, ἣν εἰώθασι πῆξιν οἱ ἀποτελεσματικοὶ καλεῖν: *Supervacuè ſolent dicere Ægyptii creationem mundi, etenim originem unam non habet, ſed multas; ad partes verò quod adtinet, & multas & unam. Unam quidem & ab initio & in origine aſtrorum miſturam, quam ſolent Aſtrologi vocare* πῆξιν.

201 *Ætheris cantus*] Dubium eſt an Chaldæi cantum quemdam verum, qui audiri poſſet, à cœlis,

lis, circumvolutionibus ſuis, editum eſſe; an vero Symmetriam tantùm eorum admirabilem ſe credere, hiſce, ſimilibúſque vocibus, ſignificarint. Vide verſ 257. ubi Harmonia metaphoricè ſumitur, quam ſignificationem hîc prætulerim. Conſule & *Proclum* in Theol. Lib. V. c. 36.

In Sectionem IX.

214 E*T fontanum alium*] Platonici duas durationis ſpecies eſſe dicebant, quarum altera vocatur αἰὼν *æternitas*, quæ ἐν ἑνὶ μένει, ut loquitur *Plato* in Timæo, hoc eſt, ſucceſſione caret; altera propriè χρόνος *tempus*, quod eſt alterius εἰκὼν κινητὴ *imago mobilis*, quia cum ſucceſſione elabitur. Vide *Proclum* Lib. III. cap. 16. Æternitas videtur hîc vocari πηγαῖος χρόνος *fontanum tempus*, quia eſt ita propriè dicti παράδειγμα.

In Sectionem X.

215 O*Portet te feſtinare &c.*] Vide Sect. 2. Lib. I. cap. 10. Ad hunc verſum adludere videtur *Jamblichus* Sect. II. Cap. 6. ubi dicit à Dæmonibus corpus gravari, morbiſque adfligi, mentem ad materiam trahi, τοὺς δ' ἐπὶ τὸ πῦρ σπεύδοντας κατέχεσθαι περὶ τὸν τῇδε τόπον, *eóſque qui feſtinant ad ignem retineri circa huncce locum.*

226 *Multam induta mentem*] Crediderim potiùs hîc legendum ψυχὴν πολλὴν ἑσσαμένη νοῦς, ſi verſus hoc pateretur. *animam multam induta mens*, nam ſuprà vſ. 152. & infra 220. νοῦς dicitur eſſe ἐν ψυχῇ, &, apud hos Scriptores, id quod in nobis ratiocinatur νοῦς ut plurimum ſignificat.

218 *Symbola*] *Pletho* & *Psellus* interpretantur νοητῶν εἰδῶν εἰκόνας *imagines intelligibilium specierum*, aut essentiam ipsam Mentium, quâ ab aliis differunt. *Psellus*, in libello de Dæmonibus, scribit Euchitas quodam unguento Magico, quod describit, conatos esse expellere animo θεῖα σύμβολα, quæ dicit animis nostris non aliter inhærentia, quàm Sigillum aliquod regium in ædibus, Dæmonibus terrori esse. Sed quid sint illa Symbola non docet.

220 Κατέθετο &c.] Emendatiùs hæc habentur vers. 152. & 153.

224 *Cùm non possent*] Legendum μὴ δυναμένων, ut referatur ad vocem σωμάτων, quod sensus manifestò postulat, non δυναμένους, ut legit Patricius.

227 *A quibus descendentibus*] Dona varia descendentium Deorum memorat *Jamblichus* Sect. 2. Cap. VI.

230 *Parcæ fatalis*] *Plato*, in Timæo, essentiam mentis ait esse εἱμαρμένης ἐπέκεινα, *ultra fatum*, & similia adfirmat *Jamblichus* Sect. 8, Cap. VII.

231 *Animam redeuntem*] Restitutionem hanc animæ & reditum in priscas sedes vocant Platonici ἀποκατάστασιν, & ἀπόλυσιν τῆς ψυχῆς. Vide *Jamblichum* Sect. I. Cap. 10.

232 *Ut numerum impleat*] Videntur credidisse Platonici, unâ animâ adscendente, aliam demitti, ut certus numerus animarum hîc versantium semper esset.

233 *Certè &c.*] Hic & quatuor sequentes versus leguntur apud *Synesium* de insomniis. p. 153. Ed. Petavianæ.

237 *Mithi*] Ita scribimus, non *Miti* μίτου, est enim pura pura vox Chaldaica, quæ mortem significat. Chaldæi מיתא *mitha* mortem vocant, atque Oraculorum Interpres eam vocem immutatam, nisi quòd terminationem Græcam ei addidit, servavit. Vocabula κρατερὴ ἀνάγκη apud Græcos Poëtas passim morti conjunguntur, & in hisce Oraculis vs. 253. δεινὴ ἀνάγκη mortem denotat. Ceterùm notum est Chaldæos credidisse per mortem homines ad superiora redire, quod sequentibus verbis hîc describitur. Attamen si quis malit Græcam vocem μίτος *filum* hîc quærere, & *fatale filum* intelligat, per nos licet.

240 *Ne deorsum pronus sis*] Hi versus exstant apud *Synesium de insomniis*, p. 140. Edit Petavianæ, & cùm contineant eumdem sensum qui exprimitur verss. 51, 52, & 53. haud est absimile vero eamdem sententiam Chaldaïcam ab Interpretibus Græcis fuisse vario modo expressam. Monet Oraculum homines debere ad superiora loca mente tendere, & id facere quod ad ea loca adsequenda postulatur, ne detrudantur in inferiora. Describuntur autem Inferi infra terram, quæ fuit etiam opinio non Græcorum modò, sed quoque Judæorum, circa Christi tempora, ut docebit *Josephus* Ant. Jud. Lib. XVIII, cap. 3. Videtur tamen hoc fuisse memorandum inter Græcos & Chaldæos discrimen, quòd Chaldæi locum beatitudinis non infra collocarent, ut Græci, sed supra mundum. Hinc infra terram nihil præter horrorem & tenebras esse intelligunt, ut apparet ex hisce versibus.

243 *Idolis gaudens*] Εἴδωλα καμόντων idem esse apud *Homerum* ac *Umbras mortuorum* satis notum est. Credebant Græci animabus superesse corpus tenue, quod referret pristinum, seu esset ejus εἴδωλον, *imago*. Chaldæi etiam existimabant Menti adesse semper corporeum ὄχημα vehiculum, quod eorum Philosophiæ Græci Interpp. eodem appellarunt nomine. Videntur Judæi & Christiani Scriptores, qui Numina Ethnicorum nomine εἰδώλων adfecerunt, non tantùm respexisse ad eorum imagines, sed ea etiam adpellatione usi, quòd Ethnici εἰδώλοις νεκύων, qualia erant pleraque ficta Numina,

mina, sacra facerent. Hinc videtur etiam Paulus 1. Cor VIII. vs. 4. dixisse εἴδωλον esse οὐδὲν, *idolum esse nihil*, hoc est, evanidam umbram. *Philo* Lib. de Monarchia, p. 628. Ed. Genev. ait divitias dici εἴδωλα σκιαῖς ἐοικότα καὶ φάσμασιν οὐδενὸς ἠρτημένα ὀχυροῦ καὶ βεβαίου, *idola umbris similia, & spectris quæ nihil habent solidi neque firmi.*

247 *Paradisum*] Notum est hanc vocem esse Persicam, quâ significatur locus arboribus consitus. Inde metaphoricè dictus est locus, ubi animæ beatæ morantur, qui à Poëtis Græcis & Romanis describitur etiam instar Paradisi:

——— amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedésque beatæ.

Fortè antiquissimi Græci sub imaginibus, desumtis ex iis quæ maximè hac in vita nobis placent, descripserunt beatitudinem futuram; non quòd eam talem putarent, sed quòd nonnisi notis coloribus ignota pingere nobis liceat. Saltem Chaldæi Paradisum propriè dictum non intellexerunt, quippe qui sedes beatas supra omnes mundos collocarent. Hinc *Pletho* interpretatur ἀμφιφαῆ τῆς ψυχῆς χῶρον *undequaque splendentem animæ locum*, & *Psellus* πάντα τὸν περὶ Πατέρα χορὸν τῶν θείων δυνάμεων καὶ τὰ ἐμπύρια κάλλη τῶν δημιουργικῶν πηγῶν, *omnem chorum divinarum Potentiarum qui est circa Patrem, & igneas pulchritudines creatorum fontium.*

248 *Animæ canalem*] Hoc est, quære unde Mens tua venerit, ut, postquàm servierit corpori per aliquod tempus, eò rursus contendat unde venit. *Psellus* & *Pletho* aiunt ἀνάστασιν, de qua vers. 250. ope rituum quorumdam procurari creditam à Chaldæis; & similia apud *Jamblichum* occurrunt. Vide Lib. I. Sect. 2. cap. 29.

250 *Sacro Sermoni &c.*] *Pletho* intelligit precibus esse conjungendam *operam*, hoc est, τὴν τελετὴν *sacros ritus*. Suspicor hoc in loco esse aliquot ver-

verba corrupta, & respici potiùs conjunctionem Mentis cum *Ratione æterna*, de qua *Jamblichus* Sect. x. cap. 6. ubi Mentem ἐκτὸς πάσης ὕλης *extra omnem materiam*, ope Theürgiæ, μόνῳ τῷ ἀιδίῳ λόγῳ συνηνωμένην, *cum sola æterna Ratione unitam* describit.

252 *Septemvios gradus*] *Pletho* hîc respici fatum quod pendet à septem Planetis, & cui subjectum est corpus, atque hoc designari voce *terra*, monerique putat homines ne nimiùm corporea curent. Crediderim designari potiùs Tartara, quæ ab hominibus vitari vult Oraculum; ita se gerendo, ut eos se gerere oportet, qui ad ἀμφιφαῆ locum pervenire cupiunt. Numerus *septenarius* graduum, per quos illuc descendi dicebant, sumitur pro quolibet alio; ut passim fit apud Orientales, qui *septies* pro *multoties* dicunt.

259 *Corpus servabis*] Quid intelligat Oraculum, per salutem corporis, satis apparet ex versu sequente. Vide *Stanleium* Lib. I. Sect. 2 c. x. ubi verba *Pselli*, quibus hoc Oraculum explicatur.

260 *Nec materiæ &c.*] Hunc versum hîc inseruimus ex *Synesio* de insomniis p. 242.

261. Εἰδώλῳ] Videtur intelligi subtilissimum ὄχημα animi. At irrisor Platonicorum *Lucianus* in inferos detrudit εἴδωλον in Dialogo Diogenis & Herculis; quod est huic doctrinæ contrarium.

Ibid. Pars est] Potest hîc obiter observari phrasis Orientalis. Vide Act. VIII, 21.

262 *Infictæ Animæ*] Hoc est, interprete *Psello*, *figura carenti*. Idem *igneas habenas tendere*, divinis adtentum esse explicat.

267 *Spes te nutriat*] Hoc ex versu videtur loquutiones, quibus utitur *Jamblichus* Sect. 2. c. VI. mutuatus esse, ubi dicit *conspectum animarum purarum* καὶ ἐν ἀγγέλων τάξει ἱδρυμένων *in angelorum ordine collocatarum, salutiferum esse & reductorium, spem sacram ostendere*

dere ἐπ' ἐλπίδι ἱερᾷ ἐκφαίνεσθαι, & dare bona quorum ſpem faciunt.

268 *Non admittit &c.*] Hoc eſt, non probat, non grata ſunt ei animæ deſideria, priuſquam oblita fuerit terrenorum. Sequentia vocabula clarè explicare fortè ne ii quidem, qui ea excogitaverunt, poſſent.

270 *Synthematis*] Hæc vox *teſſeram* ſignificat, videturque idem eſſe ac Symbolum; hoc eſt, ritum ſacrum, vel evocationem, certis verbis, iiſque myſticis, conceptam deſignare. Vide *Jamblich.* Sect. I. Capp. XII. & XXI.

271 *His quidem &c.*] Hi duo verſus laudantur à *Syneſio* Lib. *de inſomniis*, p. 137. Edit. Petavianæ.

274 *Neque materiæ quiſquilias*] *Pletho*, & *Pſellus* hunc & ſequentem verſum explicant de corpore, cui ante fatum valedici nolebant Chaldæi, uti nec Platonici.

275 *Ne educas*] Eſt hîc aliquid corruptum, ut & apud *Plotinum*, ubi hæc verba exſtant, *Ennead. I. Lib.* 9. initio. *Ficinus* ſenſum *Plotini* ne paraphraſi quidem ſatis audaci expreſſit.

276 *Vi corpus relinquentium*] Nempe, vi alienâ, nam ſibi vim inferre vetabant Platonici, poſt Chaldæos, ut adparet ex antecedentibus verſibus. Hoc autem dici putat *Pſellus*, quòd Mens quæ corpus cum dolore deſerit vitam abominetur, & ad ſuperiora libens revolet.

277 *Faciles ſolutu ſunt*] Vocem *εὔλυτοι Pletho* & *Pſellus* interpretantur *liberas*, nec ab alia Potentia coërcitas.

278 *In ilibus Hecates*] *Pletho* legit κοίτης & interpretatur *ſedem animæ*, & ſenſum invenit neſcio quem. Nempe, qui hîc ingenium exercere voluerit numquam explicatione carebit; ſed nihil debet adferri, quod non auctoritate priſca, eáque perſpicua nitatur; alioqui, pro Chaldæorum doctrina, noſtram Lectori propinabimus. *Pſellus* legit *Hecates*. Vide Indicem in ea voce.

281 *Neque ingentes menſuras*] Hic verſus & ſequentes ad 288. planè ſunt contrarii doctrinæ Chaldæorum Genethliacorum: ſed conſentanei iis, quæ *Lucretius* prodidit de Babyloniis, qui *Aſtrologorum artem convincere tendebant*; & *Strabo* de iis Babyloniæ Sapientibus, qui Genethliacos damnabant.

288 *Ætherea avium ala*] Hic verſus & quatuor ſequentes, contra auſpicia & ſacrificia, ab aliquo Sapientum genere, à vulgaribus opinionibus alieno, manaſſe videntur. Atque hos quidem cùm primùm expendere cœpi, pænè ſuſpicabar à Chriſtiano profectos, propter id quod habetur Pſ. L. de Sacrificiis. unde videri poſſit deſumtum initium verſûs 289. *nec ſacrificia, nec viſcera curo.* Sed cùm antecedentes verſus, qui omnino ex eadem vena fluxerunt, non ſint Chriſtiani, neque hos Chriſtiani eſſe puto. Deinde videtur hîc eſſe mendum. Eſt autem ſimilis huic ſententiæ Oracul. Sibyll. Lib. III. p. 360. Ed. Amſtel. nuperæ.

289 *Nec ſacrificia, nec viſcera curo*] Pro τ' ὄθομαι *Pſellus* habet τε τομαὶ, *Et ſacrificiorum viſcerúmque proſectiones, hæc omnia ludibria ſunt.* Quæ lectio ſi recta eſt, ut mihi quidem videtur, Oracula hîc aruſpicinam rejiciunt, ut in præcedenti verſu auguria. Ac ſanè potuere eſſe ex Babyloniis Sapientibus nonnulli, qui hæc omnia repudiarent, ut oſtendimus ad vſ. 281. vix ulli qui omnia damnarent ſacrificia, cùm toto Oriente ſemper omnes populi ſacrificiis dediſſimi fuerint. Hac de ratione, *Pſelli* lectionem Syneſianæ, quam ſequutus eſt *Patricius*, prætulerim. *Menander* ἐν ἱερείᾳ de ſacris Matris Deûm ſimile judicium tulit, *Excerpt. Grotian.* p. 725.

Ἀλλ᾽ ἔστι τόλμης καὶ βίου ταῦτ᾽ ὄργανα
Εὑρήματ᾽ ἀνθρώποις ἀναιδέσιν, Ῥόδη,
Εἰς καταγέλωτα τοῦ βίου πεπλασμένα.

Sed ista sunt commenta confidentiæ
Et impudentis ingenî molimina,
Ludibria vitæ denique humanæ, Rhode.

293 *Tuum enim vas*] *Pletho* corpus mortale, quod vermes rodent, interpretatur; *Psellus* verò *vas* κρᾶμα, *dispositionem ex temperatione ortam*, *feras* Dæmones terrestres esse vult.

294 *Deflet*] Legit ita *Psellus*, at alii pro κατοδύρεται habent κατώρυκται *sepultus est*, quod sensu caret. *Psellus* vult significari veluti mugitus inferorum malos, eorúmque liberos poscentium.

300 *Convolutum*] Cùm agatur de adparitionibus divinis, hoc versu & duobus antecedentibus, videntur Oracula monere quâ formâ Dii adpareant. Conferri hæc possunt cum visione Ezechielis Cap. I. qui ignis *convoluti* etiam meminit. Videndus hac de re *Jamblichus* Sect. 2. Capp. III. & IV.

305 *Leonem*] Hæc verba videntur corrupta, nec tamen sensum *Psellus* illis deesse credidit. Putat Oraculum dicere, si inter sacra λεοντοῦχου (hoc nomen esse Chaldaicum ait signi Zodiaci, quod vulgò *Leo* dicitur) nomen protulisset quis, cum nihil visurum præter Leonem. Alii legunt πάντα λέγοντα, & sensum etiam inveniunt; nec mirum, ubi pro arbitrio fingitur. Sequentia suadent legendum hîc φλέγοντα *ardentia*.

306 *Neque enim cœlestis*] *Jamblichus* Sect. II. c. 4. docet splendidissimas eas esse adparitiones, & tantam fulgere lucem, ut aliquando totum cœlum abscondat, neque Sol, neque Luna, neque Terra stare

re ampliùs possint; quæ descriptio optimè cum hoc Oraculo consentit.

309 *Ne Naturæ*] *Pletho* voce *Naturæ Deum* intelligit, cujus verba allata sunt à Stanleio Lib. I. Sect. 2. cap. 30. *Facultates* rerum explicat *Psellus*. Ἄγαλμα autem dicitur phasma Dei, Angeli, Archangeli &c. à *Jamblicho*, licèt figura id velit carere.

311 *Quando animas mulcentes*] Malos Dæmonas notat, qui avertunt mentem à Sacris, ne per teletas purior facta ad superiora tendat.

313 *Verum corpus*] Alii pro σῶμα legunt σῆμα, & interpretantur falsa signa à Dæmonibus ostendi. Inter eos *Psellus*.

314 *Hecaticum turbinem*] Vide L. I. S. 2. c. XXIX. & Indicem nostrum.

315 *Nomina barbara* &c.] Vide ll. & Indicem in voce *Nomina*.

319 *Per profunda mundi*] Videtur contrarium dicere *Jamblichus*, qui adfirmat Sect. 2. c. IV. ignem Deorum esse individuum, ἄτομον, nam σκιρτηδὸν, *saltuatim*, divisionem aliquam notat. Sed ex metaphoricis vocibus vix quidquam certi elicere licet, nec me intelligere fateor quæ sequuntur apud eumdem Scriptorem, quæ tamen ad hoc Oraculum adludere videntur: πληροῖ τὰ ὅλα βάθη κόσμου πυρίως ἀλλ᾽ οὐ διεγκοσμίως. Mendosa existimo, sed quæ sine MSS. ope sanari nequeant.

321 *Quando conspexeris*] Hunc versum & sequens Hemistichium, quod apud *Psellum* occurrebat, hîc addidimus. Plura Oracula hîc illic sparsa, apud *Proclum* præsertim, possent inveniri. Hoc aliud agenti occurrit Theolog. Lib. V. c. 35.

Καὶ γὰρ δὴ πάντευχος ἐνόπλιος εἴκε θεῆφι

Etenim omnibus armis instructa similis est Deæ.

Laudat etiam Oracula *Hierocles* ad vſ. 67. Aureorum Carminum, ubi memorata cura *ſplendidi noſtri corporis*, ſubdit: ὃ καὶ ψυχῆς λεπτὸν ὄχημα οἱ χρησμοὶ καλοῦσι, *quod animæ ſubtile vehiculum Oracula vocant.*

Procli ſcripta in *Platonem* potiſſimùm eſſent legenda, eâ ſola de causâ, ut excerperentur meliùs Oracula, quàm factum à *Patricio*. Alia etiam fortè ex D*amaſcii* opere de Principiis etiamnum MS. peti poſſent. Interea dum hoc aliquis præſtet, erimus hoc Catone contenti. Ceterùm quid videatur eſſe *Mnizurin*, in Indice diximus.

F I N I S.

INDEX PHILOLOGICUS,

Quo Stanleii *Opus illuſtratur, caſtigatur, ac ſuppletur.*

A.

ARA-

Sed

C.

COE-

Dyas,

H.

L.

M.

O.

Chal-

P.

R.

S.

T.

V.

X.

Y.

Z.

FINIS.